IOSEPHI CASTALDII

OPUSCULA

NEAPOLI

TYPIS GABRIELIS PORCELLII

1839

[illegible]

LECTORI

Quae vel in adolescentia exercitationis caussa, vel, ut inter graviora negotia musarum consortio tantisper recrearetur animus, scriptitavi, ea denique typis committenda censui. Si, quid boni aliis attulerint, quidve allatura putem, me quis forte roget, nihil inquam; at mihi certe plurimum profuisse sentio. Profuerunt enim primum, ne sensuum illecebrae inter aetatis fervidioris aestus fucum mihi facerent, deinde ut longa curarum taedia interdum fallerentur. Cum vero ea magis diligantur, quae magis profuere, publicae lucis usura fruerentur statui. Haec, lector, nescius ne esses volui: caeterorum tuum esto judicium, tua existimatio. Vale.

ORATIO

De Christi religionis divinitate *habita in aedibus Seminarii urbani anno CIↃIↃCCXCIV Coram Josepho M.ª Capycio-Zurolo S. R. E. Card. Archiep. Neap.*

Compertum, exploratumque habeo, Pr. Em. AA. optimi, neminem in hoc amplissimo sapientissimoque virorum consessu fore, qui jure sit nobis, meritoque succensurus, quod plusculos jam annos illustre quodpiam, et praeclarum ex intimo Christi doctrinae penu depromptum orationi nostrae argumentum attexamus. Nobis enim, qui sub his parietibus inter optimarum litterarum studia in ecclesiae Neapolitanae spem adolescimus, nihil esse potest accommodatius, quam per campestres veluti meditationes jam nunc vires exercere, atque ad ineundum olim cum hoste certamen vel a prima aetate proludere. Quid autem aut eruditioni vestrae, aut pietati gratius, jucundiusque potest accidere, quam ut adolescentes iis de rebus disputantes audiatis, quae ad religionis vel praesidium, vel ornamentum sunt comparatae? Quamobrem sinite, AA, me religionis Christi divinitatem ex hoc loco paucis etiam hodierna die demonstrare. Jamvero, cum superioribus hisce annis alii alia ratione eam caussam pertractaverint; mihi propositum est, religionis nostrae veritatem vaticiniorum, quae sacris in litteris continentur, veritate comprobare. Atque illud

cum primis egregium, atque admirabile novi foederis oraculum, quo Hierosolymae ruinam, atque excidium Salvator hominum Christus Jesus praedixit, pro rei dignitate paucis expediam. Ex quo quantum cum lucis, tum firmamenti fidei Christi adjungetur, AA, qui diligenter orationem nostram attenderit, facillime intelliget.

Quisquis rationem optimam ducem sequi voluerit, neque ab ea omnino desciscere, is procul dubio inficiari non poterit rerum futurarum, quae antecedentium caussarum nexu non sunt inter se colligatae, quaeque ex hominum arbitratu pendent, praedictiones certissimas esse notas divinitatis. Ecquis enim eo ingenii acumine, ea mentis sagacitate praeditus inveniri queat, qui caliginosam illam noctem, in cujus veluti sinu Deus eventura abstrusit, perrumpat, rerumque inde arcana mortalibus evulganda depromat? Unus Deus, AA, qui cuncta e nihilo per summam potestatem eduxit, summaque providentia moderatur, sibique praesentia contuetur, unus inquam Deus rerum omnium seriem, ordinem, et progressiones habet exploratissimas, atque hominibus potest, cum libuerit, aperire. Quamobrem ea religio, quae vaticiniorum veritate firmatur, divina utique existimanda est, cum ab eodem auctore, unde ipsa oracula proficiscuntur, originem suam agnoscat. Quod quam apte Christianae religioni quadret quis non intelligit? Quam multis enim, et quam variis illa vaticiniis, quorum veritas est luculentissima, constabilitur? Quae profecto res cum adeo sint omnibus exploratae, ut longiorem a nobis orationem requirere minime videantur; agite, AA, ad explicandam illam Jesu Christi, ut proposuimus, templi, urbisque Hierosolymae occasum portendentis prophetiam animum

convertamus, et qualis eam exitus fuerit consequutus, consideremus.

Prius vero, quam ad singulas prophetiae partes accedamus, pauca quaedam expendere libet, AA., quibus divinus quidam splendor Christi oraculo accessurus sine ulla dubitatione videtur. Ac primum Salvator noster, cum appetente Paschatis celebritate a populo Hebraeo ex Oliveto monte insigni quadam triumphi specie Hierosolymam deduceretur, in eo montis latere, unde urbs universa duobus collibus ingenti aedificiorum multitudine explicata prospiciebatur, substitit improvisus, atque collacrimans diram Hierosolymae vastitatem praenuntiavit. Quo quid fieri potuit mirabilius? Eodem enim ipsius celebritatis tempore, eodem ipsius montis latere X Romanorum legio, exercitusque pars septimo, ac XXX post anno tetendit urbem oppugnatura, omnique armorum genere pessum datura.

Deinde quid a veri similitudine alienius videri poterat, quam extrema Hierosolymae pestis, ea praecipue tempestate, qua tam luculenter a Christo domino praedicebatur? Jam erat in Romanorum potestate Judaea, quam Caesaris procurator administrabat, validoque praesidio tuebatur. In castris non procul ab urbe positis eae versabantur copiae, quae vel frequentissimam civitatem in officio continerent. Ad haec qui provinciae Syriae pro Consule cum imperio praeerat, Caesareae tam proximus Hierosolymae jus dicebat, eique ad subitas belli necessitates tantam militum vim submittere licebat, quantam rei gerendae opportunitas postularet. Ab Aegypto demum brevi admodum temporis spatio is armatorum numerus suppeditari poterat, qui quamvis ingentem belli molem essent disjecturi. Rebus ita compositis quaenam tam fe-

rox, atque impotens belli tempestas ingrueret, quae Hierosolymam non labefactaret modo, verum etiam funditus everteret? Externo ab hoste? At bellicosiores orientis nationes aut armis perdomitae, aut metu coërcitae eo loci adductae jam erant, ipsis ut pacem potius agitare, quam populi regum, gentiumque victoris provinciam oppugnare expediret. An a civibus rerum novarum cupidis? At fieri id posse ne suspicari quidem quispiam poterat. Erat profecto Judaeus libertatis perstudiosus, at jampridem regio jugo assueverat. Tum vero Hierosolymae arces regiis praesidiis occupatae, et copiae proximis in locis collocatae, si quid moliri, et turbare vellet, seditionem statim, antequam sese corroboraret, comprimerent, ortuque sub ipso consepelirent.

Jam autem quantuscumque in Hierosolymam vel hostium, vel civium exarsisset furor, ecquis facile sibi persuasisset, urbem illam tanto ardore, et pertinacia oppugnandam fore, ut ipsis a fundamentis omnino tota convelleretur? Quam illa erat cum loci natura, tum vero etiam arte egregie permunita! Eam, ut in tabula quasi descriptam ob oculos habeatis, AA, Taciti gravissimi civilium, bellicarumque rerum scriptoris verbis deformatam accipite. » Urbem arduam situ, opera » molesque firmaverant, quis vel plana satis mu» nirentur. Nam duos colles immensum editos clau» debant muri per artem obliqui, aut introrsus » sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patesce» rent. Extrema rupis abrupta, et turres ubi mons » juvisset in LX pedes, inter devexa, in cente» nos, vicenosque attollebantur mira specie, ac pro» cul intuentibus pares. Alia intus moenia regiae » circumjecta, conspicuoque fastigio turris *Anto-*

» *nia*.... Templum in modum arcis, propriique mu-
» ri, labore, et opere ante alios. Ipsae porticus
» quis templum ambiebatur, egregium propugna-
» culum ».

Nonne urbem, AA, intueri videmini adeo et loci natura, et hominum industria communitam, ut ad quemvis belli impetum vel repellendum, vel sustinendum nihil fieri posset aptius, nihil opportunius? Atqui licet omnia, quae huc usque perstrinximus, quodvis ab Hierosolyma ruinae, exidiique periculum avertere viderentur; Christus tamen Jesus fidentissime portendit, Hierosolymam paucos intra annos, cum plerique ex iis, qui vaticinium exaudiebant, adhuc viverent, ad nihilum infestissima hostium oppugnatione fore recasuram. Poterat, AA, vel mortalium sapientissimus tantam rem tam ab hominum cogitatione remotam, tam a veri specie abhorrentem persentiscere, providere, in apertum proferre? Ex Dei ipsius ore, cujus imperio, nutuque non haec rerum modo universitas, sed ipsa quoque hominum consilia, animique gubernantur, prolatum fuisse tam admirabile oraculum putandum est, nisi in errore versari, quam veritatem undique sese prodentem amplexari malimus.

Verum perspicite, AA, ut ad ipsum vaticinium aliquando accedamus, perspicite quam plane, quam aperte tantam Hierosolymae acerbitatem Christus, luctumque praedicaverit. » *Venient*, ait, *dies in te*, *et circumdabunt te inimici tui vallo.* » Dies tibi, Hierosolyma, minime illi quidem fausti, et salutares, cum teterrimum hostem praesentissima Dei ope erecta vel in fugam coniiceres, vel clarissimos ex eo triumphos ageres; sed exitiosi plane, atque emortuales illucescent, cum vanis, qui se Christos esse, flagrantissimoque dignitatis, et salutis

tuae zelo inflammatos ementientur, vanis, inquam, decepta vatibus arma adversum Romanos arripies, in antiquam te libertatem, abjecto, confractoque jugo, vindicatura. Victrices aquilae, quarum crudelitatem, furoremque exacuisti, protinus advolabunt, et a te poenas imminutae Imperii majestatis reposcent. Nihil est, cur levium aliquot praeliorum successu efferaris, tibique, quod Cestium ab urbe obsidenda turpissime dejeceris, gratulere. Ecce tibi Titus Caesar plenus animi juvenis, bellicae rei peritus, avidusque gloriae militaris cum ingentibus equitum, peditumque agminibus instat, ac positis ex adverso castris, te fossa, vallo, reliquisque munitionibus circumcludit.

Neque id, AA, est satis. Attendite enim diligenter, et singula oraculi verba perpendite. *Circumdabunt*, inquit Dominus, *te inimici tui vallo*, *circumdabunt te*, *et coangustabunt te undique*. Ecquis in ejusmodi sermone non agnoscit murum illum, quaecunque porrigebatur, Hierosolymae a Romanis circumductum? Nam cum Hebraei crebris eruptionibus modo proelia miscerent, modo opera disiicerent, noctuque ex agris in urbem commeatus conveherent; Romani vero assiduo reficiendarum munitionum labore, ancipitique certaminum casu defatigati jam animis desponderent, et omnem victoriae spem abiicerent; Titus milites jussit praealtum, validumque murum urbi circumagere. Hic tum, nulla interposita mora, dicto ducis audientes milites, ac divino quodam impetu inflammati ductores ipsi, non solum ordines pro se quisque ambitum partiti, triduo murum tredecim passim turribus communitum ea altitudine, atque soliditate extruxerunt, ut fidem omnem celeritas superaret, atque tridui unius opus plurium annorum mo-

limentum videretur. En quomodo, AA, hostes Hierosolymam undiqne coangustarunt: en quomodo Hebraeis omnem prorsus evadendi viam obstruxerunt. O miseram, atque aerumnosam nationem! quidnam tu tandem huc adducta ages? Quo te convertes? Unde opem, atque auxilium exposces? Verum quid est, AA, quod jam nunc Hebraeorum vicem doleamus? Haec sunt initia dolorum: luculenter enim Christus praedixit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* O dirum sane, horrendumque vaticinium! Fingite animis, AA, aut in mentem revocate, quidquid malorum, quidquid aerumnarum, quidquid denique suppliciorum in obsessis unqnam, aut captis urbibus omni retro antiquitate exhaustum sit; ea quidem omnia cum iis, quae exantlatura est Hierosolyma, nequeunt ulla ratione comparari. Fuit sane aliis in civitatibus, cum id genus difficultatibus premerentur, publicum sapientium hominum consilium, qui acerbissimas populi calamitates, nisi avverruncarent, lenirent certe, et quoad ejus fieri poterat, mitigarent. Fuit quaedam animorum in unum conspiratio, qua in commune consulerent, reique publicae providerent. Fuit denique mutua civium in cives caritas, et benevolentia, qua saepe factum est, ut extrema ipsa, ac desperata sese vel fame, vel ferro, vel igne cum ipsis urbibus absumendi consilia toleratu faciliora efficerentur. At nulla ejusmodi apud Hebraeos, infelix ea quidem, et misera, sed aliqua tamen consolatio. Romanus, urbe muro circumvallata, quodvis subsidiorum genus arcet, eamque diu noctuque vexat omni tormentorum apparatu. Verum ludus, jocusque videri potest hostium oppugnatio prae incredibili malorum serie, quibus zelatores in civitatem debacchan-

tur. Sacrum quoddam, et horrendum hominum genus, calamitas, pestis, exitium reipublicae, hostes teterrimi patriae, templi, religionis! Hi inexpiabili scelerum furore insanientes, licet inter se mutua semper odia exercerent, ac saepe etiam proeliis digladiarentur; tamen ad conflandas in diem graviores miserrimae civitati aerumnas mirifice consentiebant. Quamobrem dimissis circa omnium domos cupiditatis suae administris, omnes angulos scrutari, quidquid ad vitam parce, duriterque tolerandam sepositum occurreret per vim auferre: leviter conquerentes, non modo repugnantes per summam crudelitatem contrucidare. Hinc per vias simulacra, immo umbras hominum squalore, luctuque perditas, fame enectas inambulare, rebusque non modo visu, sed etiam auditu foedis vesci cerneres: cerneres, gliscente e noxiis alimentis pestilentia, insepultos civium acervos temere jacere. Interea zelatores cladium omnium auctores medio in foro volitare alacres, atque acerbissimo illo spectaculo, omni humanitate exuta, os, animumque exsatiare, atque adeo crudelitate ipsa crudeliores novas nocendi artes, novas in aerumnosos cives saeviendi rationes quaerere videbantur.

Atque his tamen gradibus extremum illud, atque inauditum afflictationis genus a Christo Domino praedictum ad culmen perducebatur. Etenim *ad terram*, ait Christus, *ad terram prosternent te, et filios tuos in te;* quo oraculo quid verius simul, et acerbius fingi potest, AA? Pro eo sane ac protrahebatur obsidio, calamitatum illarum colluvies velut omni ex parte collecta infractis tandem obicibus Hierosolymam universam inundavit. Namque, cum acrius in dies belli difficultates intenderentur, zelatorum furor acueretur, fames excruciaret, fureret pesti-

lentia, plurimi, qua se cumque daret via, ad Romana castra transfugiebant rati tam miserae, perditaeque fortunae perfugium aliquod, et levamentum facilius apud hostes, quam apud zelatores suos sibi futurum. Infelix hominum genus! Quae vobis poterit esse reliqua spes salutis, si cives pariter, hostesque ad explendam divini oraculi fidem conjurant? Ecce enim, AA, perfugas alios post diuturnam famem avidius se cibo ingurgitantes animam continuo exhalare, alios per Arabes, Syros, ac Romanos, alvo ferro discissa, quo aurum, quod devoratum existimabant, intra viscera rimarentur, miserrimum in modum interfici, alios demum cruci suffigi, et pro urbis moeniis ad ceterorum metum ordine locari tanta frequentia, ut corporibus cruces, crucibus locus deesse videretur. Itaque illud initum fuit a Tito consilium, ut transfugis deinceps obtruncarentur manus, atque ita multati Hierosolymam detruderentur, si qua ratione zelatorum animus malitia obfirmatus expugnari posset, atque ad deditionem his suppliciorum exemplis deduci. Sed undecies centena millia, quod ni Josephus ipse Hebraeus testaretur, incredibile prorsus esset, undecies, inquam, centena millia victimarum aliarum alia peste, belli tempore, interemptarum zelatorum pervicaciae, superbiaeque mactata eorum furorem nec emollire, nec retardare potuerunt.

Qui vero zelatorum animus ad misericordiam deflecteret, nisi extremi jam Christi oraculi *prosternent te . . . et non relinquent in te lapidem super lapidem* veritas constitisset. Titus, AA, opera, munitiones, et reliqua belli machinamenta incredibili militum ardore absolverat: copiae uni-

versae nihil alacrius, quam signum pugnae expectabant, quo viribus omnibus urbem diu obsessam invaderent, partaque victoria bellicis laboribus defungerentur. At nihil erat imperatori majori curae, majoriqne studio, qnam tantam nrbem, maximeqne templum ab occasn, interituque servare: damnum enim Romanorum, si concideret: rnrsum, si staret, imperii fore ornamentum, et decns opinabatnr. Quod quo facilius teneret, in frequenti primorum dncum consessu decernendum, militibusque de consilii sententia edicendum curavit, ut in hostem qnidem vim, furoremque effunderent, in urbem vero, ac templum ne desaevirent. Inter haec Titus, oppugnatione, quam miles ardentius efflagitabat, in dies tracta, modo Antipam regem, modo Josephum sacerdotem, viros apnd Hebraeos magni habitos submisit, qui obsessos ad colloquium accirent, atque in quas vellent leges allicerent ad deditionem. Id ubi iterum, saepiusque frustra tentatnm est, signo dato, undique magna vi, magnoque molimine in urbem factus est impetus, urbisqne capta pars est. Heic autem proelium atrocius exardescit. Romanus Judaeum adoritur, is valide repugnat: nterque non tam robore par, qnam furore, odioqne, premit, premitur: urget, urgetur: pellit, pellitur: vulnerat, vulneratur usque eo donec juventus Romana tam ancipiti marte indignata omni animi virtnte incumbens hostem fundit, fnsumque persequitur. Zelatores fuga arrepta in templum sese recepturi templi porticum exteriorem conjecto igne succendunt, atque Romanis flammas, imperatoris jussu, restinguentibus, pugnam instaurant, rursumque in fugam acti ad templum, hoste insequente propius accedunt. Hic miles quidam, nemi-

ne imperante, contubernalis humeris se attollens raptam ex incendio ardentem facem in fenestram auream, unde in interiores templi porticus prospectus erat, divino incitatus impetu jaculatur. Titus, cui mature ea res renunciatur, in rem praesentem ducibus, cohortibusque comitatus accurrit, et qua minis, qua precibus militem universum, ut obortum incendium restinguat, aedes flamma comprehensas interscindat, templum sibi sartum, tectumque servet, adhortatur. Nihil agis Tite: cura, labor, industria vel tua, vel tuorum frustra erit. Neque preces, neque minae, neque tua, ductorumque tuorum praesentia quidquam opis afferet. Dei sententia, cui nemo repugnare ausit, templum amplitudine, opulentia, sanctimonia jam augustum cum urbe celeberrima ferro, flammisque sic addixit, lapis ut super lapidem nusquam relinquatur. Adspicite, AA, ut milites quasi Caesarem imperitantem minime obaudiant, incensas huc atque illuc faces intorqueant. Adspicite, ut porticus templo circumpositae, nulla mora, edacissima incendii vi concrementur. Adspicite, ut ignis immanibus usque tractibus sublime adsurgens templum undique corripiat, dilapsaque testudine, parietibusque disjectis, omnia depascatur. Adspicite denique ut flammarum immensum crescentium globi, patefacta veluti via, proximam urbem furenter invadant, ventoque favente celerrime depopulentur. In tam perturbato rerum statu Romani, Hebraeis animo concidentibus, urbe potiuntur. Quis diei illius imaginem non eam quidem suis expressam coloribus, sed primis saltem lineis adumbratam effingere poterit? Ipsa equidem cogitatione perhorresco hinc incendii voracitatem, illinc victoris furorem: hinc matrum,

virginumque vexationem, illinc senum, et puerorum ejulatum: hinc, atque illinc acervos civium omnis ordinis, aetatis, sexus sanguine innatantium. Nullus excidio, atque internecioni finis factus esset, nisi Titus militem caedendo jam defessum, sed nondum exsaturatum, receptui canere jubens, a strage coërcuisset. Alia tamen hic, nisi atrox aeque et misera, acerba satis, ac luctuosa se nobis offert rerum facies. Ad septem, et nonaginta millia captivos, honestioribus ad triumphi speciem, valentioribus ad gladiatoria spectacula reservatis, in longe dissitas regiones adsportandos divendunt: urbem reliquam incendio superstitem, publicis, privatisque aedificiis dirutis, complanant. Fuit, AA, fuit templum olim sanctissimum, atqne ingens fuit Hierosolyma. O vaticinium vere divinum! quinam fieret, ut oracnlum ipsius Dei ore prolatum veritas non comprobaret? ut exitus frustraretur? omnia profecto, uti Christus praedixerat, omnia acciderunt. Vos enim jam perspexistis, AA, venisse in Hierosolymam diem, cum hostis vallum, murumque urbi circumdedit: filios ejus alios bello absumpsit, alios redegit in servitutem: templum, et urbem universam a fundamentis convulsam solo exaequavit. Ex quibus certe omnibus quis non videt quanta lux, quantusque splendor Christi religioni affulgeat? quantum robur, et firmitas accedat? Ea ne religio vera non erit, quae tot, tantisque veritatis est notis insignis, ac fere inusta? Ea ne religio divina non erit, quae tam perspicuis divinitatis argumentis nititur, atque firmatur? O caelestem religionis originem! O praeclarissimum a Deo munus hominibus impartitnm! Et erit quispiam, AA, qui columnam veritatis immota in-

cumbentem basi commentitiis etiam nunc ratiunculis labefactare conabitur? Qui lucem ipsam undique splendescentem, et omnium oculos perstringentem umbris quasi ex industria quaesitis infuscare audebit? Homines miserrimi, si in tanta rerum claritate adhuc caecutitis: miseriores, si veritate explorata, atque percepta, indomita quadam animi cupiditate pugnatis. At tu Deus O. M., in cujus manu sunt hominum voluntates, ex inaccessa illa, quam inhabitas, luce, radium in terras splendidissimum emitte, quo vel dispulsa caligine, vel duritie devicta, mortales universi veritatem agnoscant, et religionem amplexentur. Dixi.

De praestantia jurisprudentiae oratio habita in auditorio privato Nicolai Vallettae regii antecessoris anno CIƆIƆCCXCVI.

Si qua fides poëtarum deliramentis esset adhibenda, illud procul dubio inter caeteras humani generis calamitates, et quidem omnium maximum recensendum foret, quod nullus jam apud mortales locus justitiae supersit. Finxerunt enim illi Astraeam justitiae antistitam, quae aureo Saturni saeculo inter homines versata fuerat, humanorum tandem scelerum pertaesam, quae ferreo saeculo orbem qua late patet, inundaverant, relictis terris ad caelestes, unde devenerat, sedes demigrasse. Quod si verum reipsa foret, auditores, nonne de tot principum statutis, de tot rerumpublicarum consiliis, quae universa ad justitiam in populis confirmandam, muniendamque spectarunt, esset miserrime conclamatum? nonne tot sapientissimos legum latores merito derideremus, qui tanta contentione insudarunt, ut exulis, et nunquam alias a caelo revocandae justitiae imperium proferrent? Juris prudentia vero, quam justitiae custodem jure appellare licet, et qua nihil a Deo Optimo Maximo praestabilius humanae vitae datum est, nonne, si nulla justitia, nullumque jus foret, tanquam ars una omnium insulsissima esset deducenda? Denique nonne ego humanitate tua, Antecessor sapientissime, et vestra patientia Auditores abuti viderer, si artis, quae nullibi extaret, laudes persequi in hoc selectissimorum hominum consessu aggrederer? Atqui id ipsum est, de quo hodierna die instituetur oratio, nec ego vereor, ne ubi juris-prudentiae dotes fuerim dicendo executus, mortalium vel ineptissi-

mus, vel importunissimus habear. Cum enim poëtarum ea fuerint somnia, nullusque sit in toto orbe locus, ubi jura, legesque non vigeant, et nullus potissimum nostrae Europae angulus, ubi suam studia sedem non collocarint, sperandum mihi profecto est fore, ut orationem hanc, quae juris magistrae praestantiam persequetur, aequo vos animo accipiatis.

Nemo est, quin intelligat fuisse mortales ita a natura comparatos, non ut quidem inter inhospita saxa, inque desertis locis vagantes vitam ferarum more transigerent, sed ut una secum conjuncti perutili virium, ingeniorum, virtutumque communione mutuam sibi ad tute, commodeque vivendum operam praestarent. Hinc ab ipso prope rerum exordio, intimo quodam sensu ad id humanam mentem ducente, hominum societates conflari coeperunt, quarum ope felicitas, quae maxima hic posset esse, in vitam redundaret. Verum nunquam certe, quae illinc expetebatur, beatitas exstitisset, nisi in illis ipsis consociatorum hominum coetibus suprema veluti dominatrix justitia praefuisset. Equidem quemadmodum in tota rerum universitate, nisi omnia suis terminis summi opificis legibus teneantur, ingens illico perturbatio oritur, ita in humanis societatibus si justus, et aequabilis ordo ubique non regnet, fieri non poterit, quin omnia brevi pervertantur, vel pessum eant. Qua de causa nihil unquam imperiorum moderatores pro eorum stabilitate tuenda antiquius, satiusque habuerunt, quam ut singuli cives in officio continerentur, et jura, legesque religiosissime servarentur.

Cum igitur ex uno potissimum justitiae dominatu, populorum felicitas enascatur, facile quisque intelliget quanti jurisprudentiae praestantia, ac dignitas habenda sit. Est enim ipsa justitiae

custos, ac vindex acerrima, sine cujus ope nusquam jus stare posset, nusquam recti norma consistere. Etenim, cum per leges a providentissimis conditoribus latae eae sint regulae, ad quas, ut juste vivatur, mores, et instituta exigerentur; patet profecto, ubi haec scientia concidat, omnem simul justitiae vim ruituram. Tunc enimvero, deleta ex hominum animis memoria legum, quid jus, fasque vellet, nemini pateret, et omnia susque deque haberentur, et, inversis, turbatisque rebus, nullus justitiae locus superesset. Certe tunc, reserato flagitiis aditu, ubique injuriae, latrocinia, caedes grassarentur, nulla fides, nulla religio, nulla sanctitas extaret, audacia, furorque libere dominarentur, ut vi, non jure certaretur, ideoque, ubi minus improbitatis, vesaniaeque esset, ibi plus discriminis, atque exitii haberetur.

At perpetuae immortali Deo gratiae agantur, qui ad tot, ac tanta mala ab humano genere avertenda, perennem eam scientiam largitus est, qua justitia auctoritatem, potestatemque tuente, omnia ad constantem quietem, concordiamque componerentur. Nimirum haec regnorum dominatoribus assidue ita adest, ut hi subditas sibi gentes recte, temperanterque moderentur. Haec magistratus excitat, ut suum cuique jus reddant, injurias vindicent, maleficia coërceant. Haec causarum patronis cuncta suppeditat, quibus proborum facultatibus, famae, vitaeque consulant, perditorum vero hominum conatus retundant, perfringantque. Ad summam una illa publicae, privataeque securitati maximo praesidio est, ac firmamento.

Solent saepe homines rei militaris scientiam multis ad caelum laudibus efferre, tanquam egregium

quoddam, ac singulare urbani otii praesidium. Non immerito quidem. Ea enim minas hostium reprimendo, impetus retardando, incursus prohibendo, omnem bellici furoris metum a moenibus, a tectis, a civibus arcere solet. At quae a scientia militari oritur utilitas non semper, sed interdum ubique gentium persentitur. Juris vero scientia nullo non tempore, locoque civitatibus omnibus opitulatur. Vigilat enim perpetuo ad commune commodum, et contra quaelibet damnorum pericula semper, et ubique praesto est, ita non intermissa uspiam sunt, quae ex ea iu populos manant emolumenta. Adde quod militaris scientia non sine tumultu, ac strepitu, neque praeterea sine civium sanguine, caedibusque auxilium praebet, ita ut aliquando, etiam re bene gesta, dubium sit major inde luctus, an gratulatio ad victorem populum devenerit: at ex his incommodis nullum plane a jurisprudentia timeri potest, cujus propriae partes sunt ita civili bono prospicere, ut magis, magisque in dies faustitas efflorescat. Postremo sine militiae usu stare urbes possunt, quamdiu arma quiescunt: sed si legum scientia aliquandiu a ferenda ope destiterit, jam regni status, qui legibus maxime nititur, firmus esse non potest. Obloquatur igitur quantum licet romanus orator, et, dum causae suae servit, militarem scientiam jurisprudentiae, quantum libuerit, anteferat, nunquam certe faciet, ut credatur, non multo plures, opportunioresque ex hac, quam ex illa, subsidii fructus civitatibus importari. Quisque enim facile intelligit militiam impedire, quominus civitates ab hostium incursionibus vexentur, jurisprudentiam custodem, ac tutricem legum, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos, efficere ut serventur.

Nos itaque pro certo habeamus esse juris doctrinam longe validius publicae tranquillitatis propugnaculum. Hinc maximo illos honore dignos existimemus, qui tantae disciplinae cultores extiterunt: quos ad communem utilitatem unice natos jure dicere possimus, eos certe tamquam fortissimos humanarum societatum tutores, ac vindices omnis antiquitas venerata est. Jam vero hi ipsi, quorum tanta auctoritas est, sic vos hoc in loco adolescentes alloqui videntur: Sit apud vos sanctum jurisprudentiae nomen, quod ante actis saeculis praestantissimi quique viri summis obsequiis, imperatores potentissimi summis officiis sunt prosecuti. Maximae sit vobis curae tam praeclara haec scientia, quam nostris laboribus excultam nulla aetas non praesentissimo sibi praesidio esse sensit. Debetis vos quidem id vobis ipsis, communique patriae debetis, si vestrae, et communi utilitati, ut par est, velificemini.

ORATIO

De litterarum felicitate e laborum praemiis repetenda habita Neapoli V. K. decembr. an. MDCCXCVI in templo D. Ludovici ante regias aedes.

Etsi nihil hac tempestate, auditores, crebrius, quam homines vulgo sibi de nostri saeculi sapientia, ac litteratura gratulari inaudiamus; at difficile dictu est, quantopere sapientissimus quisque incredibilem litterarum conversionem deploret, ac quoddam veluti funus disciplinis omnibus instare, non tacitis jam secum ipse labris, sed palam, ac publice conqueratur. Equidem, si quod sentio, libere dicendum sit, me non superioribus illis, sed his proximis assentire plane, et sine ulla tergiversatione profiteor. At id accidit saeculi vitio, cujus proprium est corrumpere, et corrumpi, an culpa juventutis, quae nimis licentiosa residet, an imperitia praeceptorum, qui suo munere rite fungi non adlaborant? Nihil horum, AA, me saltem judice, nihil horum: ex quo enim ab instituta a majoribus studiorum ratione descitum est; ex quo praemia litteris proponi desiere, barbariem ex occultis quasi latebris erumpentem in disciplinas universas impetum fecisse, miseramque ipsis cladem attulisse comperimus. Quis enim ignorat praemia quavis aetate ad litterarum studia promovenda non minimam vim habuisse, nihilque magis profuisse, quam cujuslibet lucelli spem aliquam, qua plurimi ad eas arripiendas excitentur? Fateor quidem praecipuum studiorum fructum spectare reip. bonum debere, animique culturam; sed, cum homo ita sit natura comparatus, ut nisi spe quadam vel gloriae, laudisque,

vel utilitatis, commodique erigas, frustra eum ad improbum studiorum laborem incitaveris; quis non videt praemia ei proponenda esse, ut laboriosum litterarum iter ingrediatur? Quare sic statuo, nullum acrius excolendis litteris incitamentum fore, quam praemium, ita quidem, ut, eo sublato, eaedem illae neglectae squalere videantur. Equidem intelligo quam grave onus sponte susceperim: meam enim haud ignoro infirmitatem, sed eam benignitate vestra plurimum relevari facile, confido.

Insatiabilem sciendi cupiditatem a natura cuique inditam vel ipsa virtus excitare potest, et alere, vel potius laudis amor, ac divitiarum. Cum vero pauci admodum recenseri possint, qui ab unius virtutis amore, atque illecebris ad exantlandos litterarios labores alliciantur, innumeri autem sint, quos laudis, opumque amor impellat; hinc nemo unus inficias ibit, litterarum studia una omnino praemiorum spe promoveri, eamqne quoddam veluti calcar adolescentibus addere. Huc vero illud etiam accedit, quod ita multos angusta domi res angit, ut cultum, victumque, sine quibus nec vitam agere, nec corpus sustentare possunt, sibi comparent necesse sit, qui, nisi divitiarum, commodorumque lenocinio deliniti, ad optimarum artium, litterarumqne studia adducantur, ad ignobilem quaestum detorti, mercenariam vitam, et vile artificium exercere coguntur. Hinc plurimas nationes, gentesque nullis humaniorum litterarum, optimarumque disciplinarum ornamentis excultas in quibusdam, ut ita dicam, inscitiae latebris jacuisse, vitamque summa rerum omnium ignoratione, pecudum instar, transegisse accepimus, ea praecipue de caussa, quod qui eorum gubernaculis adsidebant, nullum litterarum amorem prae se ferentes,

nulla mercede, nullis praemiorum illecebris viros studiis, doctrinisque deditos pelliciebant: contra vero illas urbes et doctrinae splendore, et imperii magnitndine diu floruisse, et longo caeteras intervallo superasse, qnae et liberalissima humanarum artium, et disciplinarum studia tuebantur, et doctos, litteratosque viros summis non modo gloriae laudibus, sed pecuniis etiam, mnneribusque cumulabant. Ii enim stipendiis amplissimis, atque honestissimis affecti, rernmqne domesticarum cura liberati, atque soluti ita in litteras omnes abdebant sese, atque ingurgitabant, ut et voluptatum blanditias, atque incitamenta aspernarentur, et quotidianam, atqne egregiam suis operam navarent, et dies, noctesque totas in bonis tum graecorum, tum latinorum scriptorum libris volutandis contererent. Idque ut penitius internoscatis, liceat mecum felicissima bonarum artium tempora raptim percurrere (1). Prima ante oculos nobis obversatur Graecia artium, scientiarumque magistra, qnae, ut suos cives ad liberales artes, disciplinasque arripiendas accenderet, celeberrimos illos instituit ludos, ac primum victorum animos maximis praemiis, deinde oleastri, apii, laurive corona, denique una laudis mercede ad aemulationem excitavit. Quis enim ad praeclara audenda non efferebatur, cum videret Corinnae statuam lauro redimitam posteris indicio futuram, mulierem caeteris in re poëtica longe praestitisse? Hisce laudibus, hisce praemiis debemus Pindari carmina, qui tanta levabatur aura in altos nubium tractus, ut cuivis alii valde foret pertimescendum, ne pennis ope Dedalaea ceratis innixus aliud ponto nomen daturus esset. Quod Corinnae, ac Pindaro, idem poëtis omnibus, idem oratoribus, idem historicis, idem

artificibus reliquis accidisse novimus, qui eisdem ludis acceptum referunt, quod poësim, quod eloquentiam, quod historiam, quod artes genus omne ad summum fastigium produxerint. Ut enim vates, oratores, et historici totius Graeciae auribus sua subjiciebant opera, sic sua artifices totius Graeciae oculis contemplanda exhibebant. Et sane quidam pictor, cum tabulam sisteret Rossanae Alexandri nuptias referentem, tanto rapuit stupore animum Proxenidis ludorum praefecti, ut illum ad filiae suae nuptias invitare non dubitaverit. Ex illo igitur ludo, tamquam ex equo Trojano tot strenuissimi prosiluere viri, qui quodlibet optimarum artium genus illustrare studuerunt. Itaque gloriae cupiditas, et praemii Graecis omnibus incitamento fuit, ne improbis laboribus delassarentur.

Quid vero de Romanis (2) dicam? Nonne praemiis allecti ad litteras summa alacritate arripiendas incitabantur? Non hostes modo victos, currusque, et tropaea civibus ostendere, sed modulata carmina, ac numerosos Apollineae lyrae sonitus edere maximae sibi laudi tribuebant. Quem enim latet quanto accepti fuerint honore Andronicus, Neviusque, qui primi bonas musas Romam intulerunt, licet eorum opera feliciori litteraturae aevo haud habita fuere digna, quae legerentur. Quid vero, cum primae dignitates litteratis patuerunt? Tunc enim vero Antonius, Crassus, aliique innumeri oratores visi fuerunt, qui ad quamdam veluti maturitatem eloquentiam perduxerunt. Sed quid ego de Cicerone loquar? Hic Arpini natus, nullo vitae splendore, nulla majorum commendatione, nulla nominis celebritate, Romam se contulit, ibique omne suum tempus in id transmittendum putavit, ut aliis, atque aliis rerum pulcherrimarum cognitionibus excoleret animum,

ac locupletaret. Tantum itaque virum, tantaque doctrinarum omnium supellectile instructissimum in ordinem senatorium adscivit populus Romanus, in quo quidem ita se gessit, ut et in dicendis caussis primum locum, et in rep. administranda quaesturam[1], aedilitatem, praeturam, consulatum denique ipsum, quod summum erat dignitatis fastigium, consequeretur. Quibus ille muneribus ornatus nihil praetermisit, quominus tot, tantisque beneficiis, atque honoribus sibi delatis grato animo responderet. Quo enim majore laudum, atque honoris amplitudine exornatum se, auctumque videbat, eo majus curae, diligentiaeque ad liberalia studia conferebat ita, ut quantum alii temporis ad res suas obeundas, quantum ad festos ludorum dies celebrandos, quantum ad amicorum consuetudines, et familiaritates, quantum ad ipsam corporis, animique requiem vulgo terebant, tantum ipse ad haec studia recolenda impenderet, affirmaretque, semet haud posse vivere, nisi in litteris viveret. Quid vero de Catone dicam, qui et in juris civilis prudentia familiam duxit, et rerum rusticarum peritissimus fuit habitus? Quid de Hortensio, quid de Sulpicio loquar, qui maximis inducti praemiis, omni elegantis litteraturae genere remp. copiosissime locupletarunt? Nec deinceps desiderati, qui et poësim, et historiam tractare summa non sine laude studuerunt. Nam egregium par vatum, qui Augusti aevo aurei saeculi cognomen paravere Virgilius, Horatiusque cum Graecis omnibus de poësis laurea contendere ausi fuerunt, unusque Livius in re historica cum primis Graecorum certare, iisdemque praeire, atque imperii Romani maiestatem aequare videatur. At cuinam Virgilii Bucolicam, atque Aeneidem, cui

Horatii egregia carmina debemus, nisi singulari, et mirificae Maecenatis in doctis hominibus fovendis munificentiae? Ille, congiariis, amplissimisque largitionibus, ad praestantissimas studiosius excolendas artes eos veluti sacramento obligabat ita, ut non immerito Maecenatis nomen ad eos omnes perennarit plurimo non sine honore, qui illum imitati student musarum amicos beneficiis devincire. Si per tempus liceret a Graecis, Romanisque veteribus ad nostra tempora gradum facerem, ostenderemque quantum incrementi, ac nitoris litteris, disciplinis, artibusque omnibus praemia addidere. At, cum innumera hujus rei exempla nostris oculis quotidie intueamur, his facile abstinebo. Me tamen continere nequeo, quin pauca addam de regno numquam satis praedicando Caroli Borbonii immortalis memoriae Neapolitanorum regis (3), et paulisper investigare satagam undenam tot praeclara ingenia tanto sub rege in medium prodiere. Recte novimus quo rei litterariae summa loco fuit, cum Carolus vere magnus litterarum, litteratorumque hominum munificum se parentem professus est, ejusque prolixa in bonas artes patuit benignitas. Fatendum quidem est non uno, eodemque simul tempore tot egregios prodiisse viros, qui litteras ad summum perduxere apicem, uti prorsus armatam e cerebro Jovis Minervam processisse fabulantur vates, sed faustis sensim incrementis, eoque paene gradu, quo principis optimi munificentia visa fuit, nituere. Tunc enim vero industriae faces splendidiores apparuere, ac felicissima Augusti tempora rediisse Neapolis laetabatur, cum seges illa summorum in unoquoque genere scriptorum diu victuris operibus famam ei immortalem comparavit. Spes enim laudis, ac praemiorum paulatim promovere vim in-

sitam videbatur, quam, nisi spes illa inflammet, magnos conatus frustra expectes ab illis, qui litterarios labores aversantur. Quare sapientissimo regis nostri Ferdinandi IV consilio provisum est, ut institutis collegiis, et academiis efficacissima praemiorum, et laudis incitamenta proponerentur, ludosque litterarios alacrius cives frequentarent. Novit enim princeps optimus, qui primos quoque pueritiae, atque adolescentiae annos pluribus simul honestissimis artibus exornavit, quanta ex bonarum litterarum tutela fructuum seges percipiatur: novit quantopère regnorum intersit, ut ab ineunte aetate liberalibus artibus, et disciplinis excolantur juvenes, atque ad rectum virtutis tramitem dirigantur: novit, cives, quibus publica munia sint committenda, eos se posthac habituros aut malos, aut bonos, quos ab adolescentia curaverit informandos: novit, illarum gentium, quae ad summam imperii amplitudinem pervenerunt, diuque pulcherrime steterunt, sapientissimis legislatoribus nihil potius, nihil antiquius fuisse, quam rectam adolescentulorum institutionem, praeclarissimamque optimorum studiorum disciplinam, e quibus totam rerum publicarum felicitatem pendere arbitrabantur. At vos, juvenes praestantissimi, qui in maximam regni spem succrescitis tanto amatissimi regis nostri consilio, ac studio, obsequamini: Ille ad liberaliorem juventutis culturam plurima instituit collegia, eaque maximis beneficiis, honorificisque decretis ornavit, nihilque fecit sibi reliqui, quod ad maximum in litteris addiscendis progressum, et ad vestram utilitatem maximopere conferret. Nullus litterarum labor, nullae studiorum difficultates, nulla vitae discrimina a tanto ineundo opere vos prohibeant: ipsos Deos immortales, ante honores

sudavisse argute cecinit Hesiodus. Honoris, et gloriae stimulis excitati ignaviae, desidiaeque bellum indicite, et, amplissimorum praemiorum spe proposita, labores alacriter, fortiterque suscipite. Ingentes interea gratias illi habere, ac referre conamini, qui ne ardor ille a natura nobis insitus defervesceret, tot, tantaque commoda nobis praebuit, tot, tantisque stimulis nos excitavit, erexitque. Dixi.

---

(1) Ne auditores longiore oratione diutius distinerem, quae colligere monumenta in rem propositam licuit, ad ejusdem orationis calcem reiicienda censui.

Rudis adhuc Graecia non alia exhibuit spectacula, quam luctae, equorum, curruumque: urbanitatem adepta alia, atque alia excogitavit, in quibus victorum laudes praestantissimi poëtae canerent, et egregii artifices effingendis, sculpendisque imaginibus insudarent. Si adeas Pausaniam Graeciae loca describentem; immensum statuarum, ut ita dicam, numerum athletis ornandis demiraberis. Nec porro tituli deerant, athletici ea de caussa dicti, athletarum victorias posteritati commendantes. Horum enim tanta erat copia, ut post inlatam a barbaris immanem vastitatem non paucos id genus lapides adhuc superesse miremur. Tubicines quoque, tibicinesque suas in iisdem ludis palmas, et praemia sibi quaerebant. Vide Plutarchum *de Musica*. Neve credas, quaecumque vatum, artificumque opera sic temere probata fuisse, sed electos ex unaquaque tribu optimos judices cuique praemia statuisse, quin et Lucianus adversus indoctos affirmare videtur, nedum egregios vates, artificesque praemia tulisse, sed et in eos animadversum, qui quaesitis destituti dotibus hujusmodi subire certamen audebant, quod sane bonarum artium progressui mirifice velificabatur. Ludi ergo numquam, nisi spe praemii obtinendi inibantur. Homerus *Iliad.* 22. sua cuique ludi generi praemia statuta fatetur, et duo auri talenta Merioni victori contigisse ait. Illum Virgilius imitatus *Aeneid.* V. 110. inter praemia victoribus oblata, tripodes, vestes, auri metalla recenset, et coronas, quae, etsi nulli, nisi Diis dabatur; athleticis tamen victoribus datas fuisse scimus,

quasi si certantes in Deorum numerum referrentur. Hinc Horatius lib. I. od. I. . . . . *Palmaque nobilis*

Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Neque modo ea referebant praemia victores, sed etiam pubblico alebantur aere. Vitruvius *in praef.* lib. IX. *Nobiles athletae e re pubblica constitutis vectigalibus fruantur, quin et Circensibus equis senio confectis tributa ex horreis fiscalibus alimonia.*

(2) Romani per plura saecula bellorum tumultu abstracti musarum voces neque exaudire poterant, neque erant quae illorum auribus personuerint. Graecorum opera iis audiendis assuescere coeperunt, et, sero licet, illae interiores magistrae ingenitam edomuere ferociam, animosque illos ingentes emolliverunt. Verum tunc litteras plane regnasse vidimus, cum praemia earumdem cultoribus statuta fuerunt, unde ingentem optimorum scriptorum copiam prodiisse miramur, qui praemiis, honoribusque allecti omne genus libros in lucem ediderunt. Quanto cumularet honore Virgilii carmina populus Romanus, testatur auctor *Dialog. de orat. Testis est populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte praesentem Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.* Idem Augustus quanti fecerit Virgilii carmina, monet Budaeus, qui ait Virgilii versus vere aureos appellare possis, quod ab Octavio pro viginti versiculis quinque aureorum millia receperit. Ut alios praeteream, Horatius unus plus vice simplici testatur quot, quantaque ab Augusto, et Maecenate munera vates retulerint. Hinc lib. II. Ep. 1.

. . . . *Ut simul atque*
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Accersas, et egere vetas, et scribere cogas.

Et Epod. od. I. ad *Maecenatem*

Satis, superque me benignitas tua
Ditavit. . . . . . .

Idem Horatius de Virgilio, et Vario ab Augusto non mediocri affectis praemio inquit lib. II. Ep. 1.

At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius, Variusque poëtae.

De Augusti, et Maecenatis studio in litteris promovendis monitore non indigemus. Cl. Hieronymus Tiraboschius in

opere, cui titulus: *Storia della letterat. Ital.* tom. I. part. III. lib. 3. pag. 177. cum verba faceret de poëtis, qui saepe molestiam Augusto creabant, ait nullam solere vates molestiam facessere iis principibus, quos experti sumus laeto semper vultu litterarios labores excipere.

(3) Neque ante Carolum III. Borbonium defuere principes, qui litteras, litteratosque impensissime foverent. De Alphonso Aragonensi Neapolitanorum rege I. ejus nominis liceat audire elegantissimum Joannem Jovianum Pontanum *in de obed.*: *Quid dicam*, inquit, *de Rege Neapolitanorum Alphonso? cujus regia numquam non referta fuit viris ingenio, et doctrina praestantibus, quos paene quotidie aut lectitantes audiebat, aut disserentes.* » Idem libro *de convenientia* » *Rex Alphonsus statim post prandium, vel Antonium Panormitam, vel e doctis aliquem audiebat, ut qui dignum judicaret, animum quoque cibo suo post pastum corporis reficiendum esse.* Idem Pontanus de Alphonsi liberalitate verba faciens inquit » *Eodem auctore non potuit aut beneficentius, aut utilius excogitari liberalitatis genus; itaque in primis commendandum putat pecuniis substentare adolescentes, quorum angustiores sunt res, et in quibus ingenii vis, et indoles aliqua praelucet ad virtutem. Sic Eramus ille magnus, et in vita in studiosos inopia pressos liberalis fuit, et in morte.* » Et alibi: *Abundavit eruditis viris Nicolai V. P. M. et Alphonsi Regis aula; hic ad ordinariam in Antonium Panormitam benignitatem illud addidit, ut mille eum aureis ob scriptum de dictis, et factis suis librum donaverit. Poggium Florentinum quingentis ob conversum e graeco in latinum Xenofontis librum, qui inscribitur Cyri-Paedia* » aliaque multa de eodem rege videsis apud eumdem Pontanum. Et Antonius Panormita *de dictis et factis* Alphonsi ait: *Hispanos vero quingentis atque eo amplius annis a studiis humanitatis usque adeo abhorrentes, ut qui litteris operam impenderent ignominia propemodum notarentur, ad litterarum cultum sic revocavit, ut rudes propeque efferatos homines doctrina quodam modo reformavit*, lib. I. pag. 11. Idem ibidem inquit: *Pueros quos ad studia litterarum aptos, ac prope natos intueretur, verum paupertate, ac inopia, ad gloriam aspirare non posse, ut quisque vel ad hanc, vel ad illam disciplinam idoneus videbatur, partim rethoribus, partim philosophis erudiendos commendabat; fove-*

batque sumptum illis affatim ministrans. Simili pietate, ac liberalitate usus in theologos pauperes. Nam, cum ad doctoratum ascendere nisi magnis sumptibus (eo quod corrupta, et depravata sint omnia) non possent: eos et pecunia juvare, et praesentia condecorare non destitit lib. II. pag. 55. Idem de eodem: *quotquot viros, aut re bellica, aut litteraria illustres acceperit, ad se se poene omnes evocaverit, evocatos amplissimis honoribus, magnificentissimisque muneribus ornavit* lib. II. pag. 57. Aeneas episcopus Senensis *in lib. Ant. Panormitae: Duos pueros miserat Alphonsus Parisios, ut litteras etc. . . . . . Vidimus regem miro modo gestientem, cum, scriptis puerorum lectis, proficere eos cognovit* lib. II. pag. 295. et ibidem pag. 293. *E regis curia copiarum duces, et ecclesiarum antistites prodiere. Callistum III. nunc P. M. ex Alphonsi schola ad cardinalatus honorem Eugenius arcessivit.* At prae ceteris Leo X. P. M. non minime videtur laude dignus, qui litterarum patrocinium maximopere susceperit adeo, ut nescio, an jure illi saeculo Leonis X. nomen quidam tribuerint. Non enim Leo unus bonas artes ea aetate promovebat, sed plurimi Italiae principes multo non sine honore eas prosequuti fuere. Praetereo Medicaeos Etruriae, et Farnesios Parmae, et Placentiae duces, qui jamdiu sibi Maecenatum nomen jure, meritoque adepti fuerunt: Gonzagas, qui, ubicumque regni gubernaculo adsidebant, eo quoque sedem posuisse musae viderunt. Una Estensium aula tanto litterarum decore splendescebat, ut illi potius aevo Estensium nomen tribuendum videatur, cum apud gentem Estensem, quodlibet bonarum artium genus tutissimum receptum habuerit. Si caetera desint, Ariostus, Tassusque aeternam servabunt Estensium memoriam, quibus Itala poësis tot, tantaque debet ornamenta. Neque vero una poësis, sed reliquae paene omnes scientiae ab Estensium domo incrementum, progressumque agnoverunt, neque longissimum tempus delere poterit memoriam suscepti ab ea gente litterarum patrocinii, quae donec vigebunt, praeclara Estensium servabunt merita, et benefacta.

Nicolai Ignarrae vita eiusdem opusculorum editioni praefixa an. MDCCCVII.

Leucopetrae, qui est vicus II ab urbe lapide **orientem** versus, totius Campaniae longe florentissimus, honesto loco natus est NICOLAUS IGNARRA XI. Kal. octobr. anno CIↃIↃCCXXVIII. Illius ortus in ea tempora incidit, quibus in omni litterarum genere Neapolitani ceteris Italiae populis facile praestabant. Et revera non sine admiratione nobis obversantur nomina Aulisii, Maielli, Vici, Gravinae, Capassi, Cyrilli, Aegyptii, Iannonii, Galiani, Mazochii, De Ianuario, Serai. Parentes nactus est aere familiari satis instructos Sabathum, et Petronillam Scutariam, ex Illyrico oriundam; iique ab ineunte aetate puerum litteris, moribusque informandum omni studio sategerunt. Etenim vel in ipsa pueritia ille manifesta praecocioris ingenii indicia fecerat, ut puellulus adhuc, ob mellitula, et ingeniosa sane dicta, merito omnium sibi admirationem conciliaret, totiusque Herculanensis viciniae delicium esset: et quidem sapientia, si in omni aetate hominibus est grata, in pueritia vero est gratissima. Hic primis grammaticae rudimentis imbutus fuit ab optimo avunculo Philippo Scutario ecclesiae pagi divi Ioannis ad Theodosium curione, viro litteris cum graecis, tum latinis haud mediocriter exculto. Eam vero in puero instituendo rationem servavit, qua ipse non tam per salebrosas, et frequentes grammaticorum tricas, quam per clarissimos, amoenissimosque aurei saeculi scriptorum campos deduceretur. Hinc, cum vix esset octennis, Ciceronis epistolas italice vertebat. Interim Scutarius cum Iosepho cardinali Spinello Neapolitanorum ar-

chiepiscopo, illi scilicet magno ingeniorum aestimatori, atque patrono esset acceptissimus, NICOLAUM vix X annis natum Neapolim deducit, eumque Spinello etiam atque etiam commendat. Amplissimus ille vir, perspecta in puero acris ingenii vi, insitoque acumine, praecepit, ut in Seminario archiepiscopali clericorum tanquam alumnus reciperetur, Seminariique expensis aleretur. Florebat tunc temporis Augustea illa aetas non sine invidia perpetuo memoranda, opera, et studio doctissimorum fratrum Majellorum Caroli, et Ianuarii, quorum prior, jactis ibidem loci optimorum studiorum fundamentis, Romam ultro arcessitus a Clemente XI. P. M., multisque muneribus perfunctus, denique Vaticanae bibliothecae praefectura, et archiepiscopatu Emisseno ornatus, epistolis scribendis ad viros principes fuit praepositus; alter vero natu minor optimae illius institutionis curam ad extremam usque aetatem retinuit. Hinc factum est, ut e Seminario, tanquam ex equo Trojano, in diem sapientissimi viri in lucem prodierint. Ut alios taceam, meminisse satis sit Caietani Amati archiepiscopi, qui post Cl. Majelli obitum summis Pontificibus ab epistolis fuit, Iosephi canonici Bonocorii, Ignatii Calcii in regia studiorum universitate Hebraicae linguae professoris, Salvatoris Aulae, Ianuarii Fortunati Cassanensium episcopi, Hieronymi Iordani jurisconsulti, Bernardi Lamae in regia Taurinensi academia iuris antecessoris, et dein Carolo VI. Romanorum imperatori in Italicis expediendis negotiis a secretis, Iacobi Martorellii in regio Neapolitano gymnasio graecanicae linguae professoris, Ioannis Melfii, Iosephi Romani S. R. C. praesidis, Felicis Roseti, et Ferdinandi cardinalis Spinelli, virorum moribus, doctrinisque omnibus

praestantissimorum. NICOLAUS igitur pridie non. iunias anno CIƆIƆCCXXXVIII. vix Seminarium ingressus in litterarum pulcherrimarum stadio decurrendo perpetuum laborem, conatumque sibimet indixit: ex eoque factum est, ut, vix emenso latinae linguae curriculo, graecas, hebraicasque litteras sub Ignatio Calcio didicerit citissime, non sine aequalium admiratione, praeceptorisque plausu: physicas vero scientias, et praesertim gnomonicen sub disciplina Iosephi Bonocorii arripuerit avidissime, et quicquid ad litterarum studia pertinet, festino pede percurrerit. Hisce studiis quid ille profecerit patet satis ex eo, quod Alexius Symmachus Mazochius studiorum suorum socium illum adsciverit, iuvenem annorum unius supra viginti; eo praesertim tempore, quo cum Iosepho Simonio Assemanno super unitate Neapolitanae ecclesiae, et pro canonicorum capitulo esset illi dimicandum. IGNARRAE autem indefessa opera, studioque erga se adeo delectatus est Mazochius, ut ab se postea numquam, quoad vixit, ipsum divelli pateretur. Ex illo autem omnium humanarum, divinarumque cognitionum opulentissimo ingenio IGNARRA excellentissima quaeque libavit, ut vix dici possit quanto tanti viri consuetudo sibi emolumento fuerit, cum nihil domi adolescens, nisi doctum, elegans, et minime commune audierit. Eminebat sane in eo, cum virtutis indoles, tum discendi ardor plane singularis cum prudentia coniunctus, ipsiusque oratio sobria, plena pudoris, ac modestiae, adstricta verbis, densa sententiis, nihil ut in ea videri posset diffluens, nihil redundans, eaque omnia Mazochio erant pergrata. Interea iuvenis adhuc, nec dum sacerdotio initiatus, poëticas institutiones, et graecae linguae rudimenta Seminarii alumnos docuit. Veterum scri-

ptorum, et praesertim Graecorum lectioni perpetuo vacavit, iisque ducibus, remotissimas patrias antiquitates diligentissime investigavit, neque in tanta veterum linguarum notitia nostratium sermonem neglexit, cum pro certo haberet, esse praecipue adlaborandum, ut propria lingua quisque recte loquatur, et scribat. Annos natus XXXI. lucubratiunculas nonnullas edidit, inter quas doctrina, et stylo praestant eae, quibus concertationem exercuit cum Iacobo Martorellio in graecum epigramma Neapoli tunc temporis erutum, quod ipse Aristoni, Martorellius contra Messo, vel Messulo adscribendum censuit: nec silentio sunt nobis praetereundae animadversiones in Martorellianam interpretationem graecorum epigrammatum in sacello Joviani Pontani extantium, quae Romanis typis prodiere. Cum vero ob ingravescentem aetatem, et morbos, qui senium comitantur, Mazochius pensum diurnum sacras scripturas interpretandi in regio studiorum archigymnasio ferre non posset, oculos injecit in IGNARRAM, quem unum autumabat sua vice cathedram posse cum laude moderari. Quare regi preces tulit, ut ille regio diplomate sibi sufficeretur, quod incidit in annum CIƆIƆCCLXIII. Spartam hanc nactus IGNARRA, eam pro virili parte adornare nunquam destitit: sive enim Hebraicas antiquitates, sive divinorum librorum explanationem generosis adolescentibus traderet, sic semper se gessit, ut omnibus probaretur, Mazochio in primis, cujus judicium instar omnium omnibus erit. Deinde, defuncto Mazochio, id munus cum annua pensione omnium suffragiis delatum est IGNARRAE III. non. octobr. anno CIƆIƆCCLXXI.

Tunc eluxit in eo tota, qua late patet, sacrorum Bibliorum cognitio. In implicatissimis enim

quibusque rebus extricandis dexteritatem, et incredibilem cum divinarum litterarum, tum diversorum sensuum, ac veterum linguarum peritiam sic ostendit, ut diceres, sacras Scripturas, cum ab IGNARRA explanarentur, splendorem, dignitatem, majestatemque suam prae se ferre. Interim ejus doctrina tota urbe ita celebrabatur, ut facile pervaserit ad aures Caroli III. Neapolitanorum regis. Hic enim cum anno CIƆIƆCCLV. statuisset deligi XV Viros omnigena eruditione praeditos, veterum scriptorum lectione exercitatissimos, qui omne genus antiquitates Herculani, Pompeis, Stabiis, et Puteolis erutas enuclearent, illustrarentque, hos inter doctissimos viros IGNARRAM adscivit, qui dum Herculanensis academia toto orbe clarissima viguit, opulentissimae illi antiquorum κειμηλίων segeti exornandae prae ceteris sedulam navavit operam. Postea hominis doctrinae fama in dies percrebrescente, regiae typographiae XV. Kalend. aprilis anno CIƆIƆCCLXXXII. primum praeficitur: tandem regiis codicillis, iisque perhonorificentissimis XV. Kalend. novembris anno CIƆIƆCCLXXXIV. datis, in aulam accitus, ut Franciscum Borbonium juventutis principem iis litteris, iisque moralibus praeceptionibus, quibus puerilis aetas informari consuescit, imbueret. Anno demum CIƆIƆCCXCIV. magna omnium gratulatione ecclesiae Neapolitanae canonicus renunciatus fuit, urgente potissimum Iosepho Rossio archiepiscopo Nicosiensi, regi a sacris confessionibns. Etenim hic diutius ferre haud passus est IGNARRAM inter ecclesiae archiepiscopalis canonicos non esse adnumeratum: qua de re cardinalem Capycium Zurolum pientissimum Neapolitanorum pontificem adiit, petiitque ab eo, ut honoris, virtutisque caussa tantus vir ea dignitate augeretur: sta-

tim annuit optimus archiepiscopus, idque iam pridem accidisse inquit, si quis alius solum IGNARRAE nomen in memoriam revocasset, sed ab hoc munere ineundo ipse omnino abstinuisset, nisi Philippus Ursinius Gravinensium dux sua auctoritate, qua plurimum apud IGNARRAM pollebat, a proposito deterruisset. Tantis exornatus muneribus, a quocumque fastu semper abhorruit, et inter aulicos perpetuum viri probi, et sapientis exemplar cunctis imitandum se praebuit. Illud enim semper ante oculos habendum ajebat, solam virtutem intaminatis honoribus fulgere, et hujus vitae rebus omnibus praestare. Praeter alias lucubrationes duo potissimum evulgavit opera, de quorum doctrina, et eruditione heic pauca delibare operae pretium duximus. Anno CIↃIↃCCLXX. edidit commentarium de *Palaestra Neapolitana*, cui ut manum admoveret in caussa fuit lapis graece loquens prope portam Nolanam effossus, qui olim extitit in Neapolitano gymnasio, positus memoriae, et virtuti perillustris athletae Archibii Alexandrini, qui puer imberbis, et denique vir pluribus agonibus triumphaverat. Hunc lapidem ex parte mutilum noster admiranda felicitate, Mazochianum in morem, restituit in integrum, et a se latine conversum longo, eruditoque commentario illustravit. De gymnasio Neapolitano scripserant antea viri docti Petrus Lasena, et Dominicus Aulisius, sed longe his praestitit IGNARRA, qui Neapolis graecas, latinasque origines, antiquitates, aedificia illustriora, regiminis formam, marmora, numismata rariora, varias urbis vicissitudines, permultaque de Petronii aetate describit diligenter, enucleatque scitissime, eamdemque eruditionem, et sagacitatem prae se fert, ubi de gymnasio Puteolano, et Bu-

Physiae agone, nec non de semibove viro barbato perantiquo, Italorum numismatum symbolo, verba facit. Omnia haec ad patriam historiam illustrandam spectantia, et scitu dignissima ab remotissimis deducta temporibus, veterum scriptorum nixus auctoritate in lucem profert clarissimam, vel modeste corrigens aliorum errores, vel addens illa, quae nostrarum rerum scriptores effugerunt. Ingeniosa, et sane admiranda est ejus de picturae, et sculpturae interitu sententia, quae ab auctore nimis modeste divinatio appellatur. Is enim quum rejecisset tres caussas, quibus has artes occidisse plerique omnes autumant, translationem scilicet in orientem aulae imperialis sub Constantino, artificumque transmigrationem, Jesu Christi religionem, quae falsorum numinum multitudinem delevit, barbarorum denique incursiones his artibus funestissimas; demonstrat una simul cum abolitis gymnasiis desivisse quoque perfectae graphyces oppurtunitatem, ac facilitatem, nec non picturam, atque sculpturam gymnasiorum ruinis involutas occubuisse. Nam huiusmodi gymnasia, ille inquit, ubi motiones corporis, animique affectus repraesentabantur ad vivum, nihil aliud iis, qui graphicae operam dabant, fuisse, quam accuratissimas linearis picturae scholas: hinc ex gymnasiorum desuetudine picturae, atque sculpturae interitum repetit. Nihil hic addam de styli venustate, ceterarumque rerum elegantia, cum per se toto opere late pateant, atque laudatore non indigeant. Anno vero CIↃ.IↃCCXCVII. aliud opus auro contra non carum de *Phratriis*, primis Graecorum politicis societatibus, typis mandavit, ex quo nova, et clariora lumina vetus Neapolitana historia est mutuata. Ipse enim in duas partes suum dividit commentarium, altera Παρα-

σκευὴν, *praeparationem* quamdam continet, in qua de variis diverso tempore vicibus phratriarum, et phratorum, deque eorumdem cum Romanorum curiis, et curionibus indubitata affinitate disserit. In altera vero parte veterem consuetudinem arcessendi colonos ex variis terrarum regionibus memorat, qui dispartiti in tribus, sive phratrias cognomines plerumque iis terris, unde fuerant exciti, unam porro civitatem aequo jure constituebant: hinc phratrias Neapolitanas undique collectas, phratriacasque inscriptiones illustrat sane quam ingeniose. Tum contra sententiam clarorum virorum Reinesii, Vandali, Fabretti, et Martorellii pro virili parte ostendere conatus est, phratrias non corpora sacra, sed politicas fuisse societates. Denique pro operis coronide doctissimam addit dissertationem de *Pausilypo*, quod vocabulum veteres quidem ad designandum sepulchrum usurparunt. In toto opere omnigena qua graeca, qua latina eruditione refertissimo iter novum ingressus est auctor: spissas enim remotissimae antiquitatis tenebras pervadens, qui olim urbem Neapolim incoluerint, qui primi urbis conditores eorumque patres ex antiquis inscriptionibus, quaeque prima Neapolitanae reip. incunabula fuerint ostendit. Octo *phratrias* Neapoli adsignat, aliasque duas Agarrheensium, et Eumidarum a Reinesio inter Neapolitanas phratrias adnumeratas, omnino rejicit. Nomina octo phratriarum sunt ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ *Eumelidarum*, ΕΥΝΟΣΤΙΔΩΝ *Eunostidarum*, ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ *Aristaeorum*, ΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝ *Artemisiorum*, ΠΑΝΗΛΙΔΩΝ *Panelidarum*, ΟΙΝΩΝΑΙΩΝ *Inonaeorum*, ΚΥΜΑΙΩΝ *Cymaeorum*, *et* ΑΝΤΙΝΟΙΤΩΝ *Antinoidon*. Quae omnia, ut reliqua praeteream, tanti sunt facienda, ut et nostri, et universus erudito-

rum coetus auctori se profiteantur obstrictissimos. Mense septembri anno CIƆIƆCCLXXXII. gravissimis, acerbissimisque doloribus pluribus diebus afflictatus est, ut nec lecto iacere, nec stare, nec sedere posset. Hoc in morbo summam expertus est amicitiam doctissimi viri Francisci Serai, qui difficillimum dictu est quanta cura, quantoque studio omnia salutaris artis auxilia praestiterit. Cum enim Seraus esset fere octogenarius, non una, vel alia vice, sed quinquies quotidie eum adibat, ut quidquid diei spatio novi accideret, statim cognosceret, et medicamina ad aegri levamen adhiberet quam citissime. Hinc Tanusius dicere solitus erat, regis filios, si morbo aegrotarent, non posse majori studio curari a Serao. Unius virtutis commendatione IGNARRA principibus viris summopere placuit: tota autem Italia, atque adeo Europa quanti eum duceret, vel inde patebat, quod e doctis hominibus Neapolim venientibus nemo erat, qui ipsum videre praetermitteret, nemo qui, cum vidisset, non id ad suae peregrinationis uberiores fructus referret. Carolo III. regi sapientissimo fuit carissimus, cujus beneficia saepenumero expertus est. Cum vero nihil fuisset sibi antiquius, quam obscurum delitescere, ideo paucissimorum exterorum amicitias prosecutus est: familiariter nihilominus usus est Iacobo Iona Bioernstaelio viro doctissimo, atque in regia Upsalensi academia linguarum orientalium professore, Francisco Peretio Bayero regiae Matritensi bibliothecae praefecto, comite Lyndenio Batavo doctorum Maecenate, ac docto Barthelémio, et Dideroto duobus Parisiensis academiae clarissimis luminibus, Michaële Angelo Iacomello, qui fuit Clementi XIII. ab epistolis, viro multijuga doctrina, et in graecis, latinisque litteris summopere versato, deni-

que Stephano cardinale Borgia, Italiae illo, ne dicam totius orbis litterarii splendidissimo ornamento, quem mors inopina omnium moerere nuperrime e vivis sustulit Lugduni, Pontificem maximum iter in Galliam facientem sequutum. Inter nostros vita jam functos potissimum fuit acceptus marchioni Bernardo Tanusio regi a secretioribus consiliis, viro summa gravitate, summaque in omni litterarum genere doctrina instructissimo, consiliique pleno, Iosepho cardinali Spinello Neapolitanorum archiepiscopo, magnitudine rerum gestarum clarissimo, et Alexio Symmacho Mazochio, illi totius Europae litterariae miraculo, quos praeclarissimos viros IGNARRAE Maecenates melius appellaveris, cum ejus studia foverint, beneficiisque cumularint impensissime. Is vero tum vivo, tum mortuo Mazochio non pauca praestitit: etenim post obitum ejus, praeter commentarium de ejus vita a se editum, maximo sane labore collegit, ordinavitque dispersas, vel conglutinatas Mazochii chartas, (Mazochius in libris conscribendis plures chartulas a se exaratas conglutinare consueverat) quibus III volumen *Spicilegii Biblici* constabat, illudque anno CIƆIƆCCLXXVIII Neapoli typis regiis imprimendum curavit. Ex amicis IGNARRAE non sunt praetereundi Ioannes Baptista Carafa Noiensium dux, numismatum ex nostris regionibus conquisitor solertissimus, marchio Adeodatus Targianus regalis camerae S. Clarae Vvir, marchio Philippus Mazochius, ex fratre nepos Alexii, S. R. C. praeses, Paschalis Carcanius regii scrinii domus Augustae libellensis, et palatinae Herculanensi academiae a secretis, summo, subactoque ingenio vir, Iosephus Rossius archiepiscopus Nicosiensis, cum theologicis, tum philosophicis studiis praeclarus, sed supra omnes, quos huc usque memoravimus,

familiarissime usus est Francisco Serao regni archiatro, et in regio archigymnasio mediciuae professore primario, qui procul dubio tum scientia, tum scribendi facultate saeculi XVIII. philosophorum, et medicorum princeps fuit, et ab omnibus etiam exteris habitus est, et marchione Carolo Demarcho regi a secretis, et a consiliis, viro acerrimi judicii, abstinentia, dexteritate, prudentiaque cum paucis comparando. Amici vero IGNARRAE adhuc superstites sunt Vincentius Carafa Amphissae, et S. R. I. princeps, morum elegantia, vitaeque integritate praeclarus, Philippus Ursiuius Gravinensium dux, Aloysius Serra Cassani dux litteris, morumque venustate praeclarus, qui quidem singulari studio, et ingenti pecuniae vi bibliothecam instruxit rarioribus codicibus, librisque in typographiae incunabulis editis selectissimam, Thomas de Rosa Villaerosae marchio, juris scientia, et amoenarum litterarum studiis excultissimus, vitaeque innocentia incomparabilis, Franciscus Danielius regni, et melitensium equitum historiographus, regiaeque academiae historiae, et antiquitatum a secretis, vir ingenio ad omnia pene facto, scribendique elegantia in utraque lingua, nostra hac aetate cum paucis comparandus, Carolus Rosinius Puteolanorum antistes, regio sacello praefectus, praeceptor olim meus, vir veterum scriptorum consuetudine, et graecanicis in rebus hujus aevi facile princeps, Horatius Cappellius, in quo bonarum artium studium, an morum elegantiam praeferre velis, haereas oportet, et Vincentius Calà suus compater, nunc Surrentinae ecclesiae archiepiscopus, graece, latineque peritissimus. Tres habuit NICOLAUS fratres, Michaëlem, Josephum, et Antonium, quos uti natu major, moribus, bonisque litteris instituendos in se suscepit. Horum Michaël

sacerdotio initiatus Mariae Iosephae Hispaniarum infanti aug. regis Caroli III. filiae a sacris auditionibus, pluribus in Hispania honoribus, beneficiisque exornatus, Matriti demum supremum obiit diem: Iosephus in juris scientia versatus, in medio forensium laborum curriculo vix XXX. annorum aetate decessit: Antonius denique inter regii scrinii iustitiae, aequitatisque finibus regundis libellenses adscitus, in eo munere vita functus est non sine probitatis, prudentiaeque laude. Nihil in NICOLAO singulare fuit in cibis, in vestibus, in corporis cultu, in domestica supellectile. At, licet in his omnibus simplicitatem deamaret; in libris tamen comparandis erat elegantiae perstudiosus. Quum enim libros vel graecos, vel latinos coëmeret, eos conquirebat, qui et chartae, et typorum nitore sese plurimum commendarent, adeo quidem, ut qui in reliquis parcus habebatur, in ea re profusus propemodum videretur, neque a luxu omnino abhorrere. Hoc autem loco juvat illud etiam commemorare, IGNARRAE non mediocri fuisse curae vetera numismata colligere, quae praesertim ad Neapolitanas regiones pertinerent. Sumtui vero minime parcebat, si qua forte fortuna offerrentur, a quibus lucis aliquid foenerari poterant patriae antiquitates. Nec labor ejus successu caruit: quaedam enim nactus est χρυσοῦ χρυσότερα. Quae quidem numismata ad Franciscum Carellium virum doctrina praestantem, atque horum κειμηλίων peritissimum pervenerunt, cjusque gazam lectissimam locupletarunt. Laboris fuit patientissimus, perdius, ac pernox, temporisque adeo parcus, ut subcisivas etiam horas libris sit impartitus; cum a theatro, a ludis, et a quacumque vel levissima voluptate vixisset alienus: fuit antiqua virtute, et probitate, et quod majus est, summam doctrinam

cum maxima morum innocentia perbelle conjunxit; officiosissimus fuit in omnes, et potissimum in amicos, qui, si quando adversa vexabantur fortuna, quicquid levamini esse poterat, apud eum facillime inveniebant. Pauperibus semper praesto fuit, et praesertim verecundioribus. Nimis demisse de se, rebusque suis sentiebat, sed ad rem, et justo praeconio alios laudavit. Fuit candidissimus in omnibus vitae actibus, et rogatus de aliqua re, suam sententiam libere semper dixit. Admirandum in modum abstineus, honores nunquam petiit, imo oblatos saepissime recusavit: et hic scitu dignum putamus quanto studio, quantaque cura ille archiepiscopatum Rheginum abnuerit. Etenim cum ob obitum archiepiscopi Dominici Zicari anno CIƆIƆCCLX. cathedra illa vacaret, a Nicolao de Rosa Puteolano episcopo, tunc temporis regio sacello, regioque gymnasio praefecto, IGNARRA illi regendae ecclesiae primo loco (mos enim erat tunc temporis tres ad eligendum regi deferri) praepositus est: at de hac re ipse certior factus a marchione Carolo Demarco ea tempestate in rebus ecclesiasticis regi a secretis, enixis precibus eum rogavit, ut honorificum quidem, sed ingens illud onus a se averteret. E votis res accidit, fuitque suo loco renunciatus Rheginorum pontifex Matthaeus Testa, qui postea regis sacello, regiaeque studiorum academiae praefuit. In utraque fortuna fuit semper aequalis, uti doctum, bonumque decet. Nil dixit, nil unquam sciens volens egit, quod alteri adversaretur, totaque suae vitae ratio, ut omnia uno verbo complectar, fuit semper cum virtute conjunctissima. Hic tandem talis, tantusque vir laboribus, studiisque fractus annis natus LXX. ingenii vi deficere coepit. Anno enim CIƆIƆCCXCVII. cum operi de *Phratriis*, de quo jam diximus, finem impo-

suisset, illudque Francisco Borbonio juventutis principi discipulo olim suo inscribere vellet, nuncupatoriam epistolam nequivit exarare, quo factum est, ut opus illud sine ulla inscriptione in vulgus prodierit. Ingravescente aetate, cumque aetate vi cogitandi in dies debilitata, eo devenit, ut oblitus plane librorum, familiarium, et amicorum, atque uti infans vix paucas voculas, sensu vacuas proferat, easque continuo repetat, et quamvis is nunc est, a quo juvari bonae litterae frustra sperent; tamen ejus abitio ejusmodi damnum orbi litterato illatura est, quod, qui plene resarciat, fateor me ignorare, nec dubito illud in rem nostram usurpare, quod olim Nasica dixisse fertur: *Quirites, Carthagine deleta, et victis Achaeis, nunc quos metuamus, neque quos revereamur reliquos fecimus.* Verendum enim est, ne sublato IGNARRA, simul et optimum exemplar, quod posthac suspiciamus, et imitemur, ex oculis evanescat. Quando quidem autem ejus abitio futura nobis est detrimento, faxit Deus, ut ea in dies, diesque usque differatur, ac longissime protrahatur. Nunc quidem utcumque vivit, at quod vivat Iosepho Ignarrae fratris filio, juveni sane optimo, et a patruo optime instituto unice acceptum referimus. Nam, cum is per eam imbecillitatem recte sibi prospicere nequeat, sibique relictus, uti fit, nunquam non damnosa mallet; ille seni sanctissimo dies, noctesque ita advigilat, ut majorem sedulitatem amantissima nutrix alumno impendere non posset. Nec id ejus caritati satis: nam hujus vitae commentarium, et haec eadem opuscula ipsi debentur juveni, qui patrui gloriae studiosissimus mihi auctor fuit, ut libellum hunc sua impensa ederem, et quamplurima ejus scripta, quae nunc primum eduntur, nisi ipse e bibliothecae domesticae forulis

educta mihi exscribenda tradidisset, communicare cum eruditis viris, eosque hoc nomine demereri nequivissem. Colophonem imponam huic scriptiunculae verbis illis C. Cornelii Taciti: *Quidquid ex* IGNARRA *amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum in aeternitate temporum, fama rerum.*

Anno vero CIϽIϽCCCVIII cum Ignarra noster fatis cessisset Josephus fratris filius in honorem patrui benemerentissimi hoc erexit monumentum in templo Divae Restitutae:

A ☧ Ω

NICOLAO IGNARRAE
S. NEAPOLITANAE ECCLESIAE CANONICO
IN REGIO GYMNASIO XL ANNORVM SPATIO
SACRARVM LITTERARVM INTERPRETI
ET REGIAE ACADEMIAE XXVIRO
ANTIQVITATVM STVDIO PRAESERTIM PATRIARVM
QVAS EDITIS VOLVMINIBVS DOCTIS ET LABORIOSIS
ILLVSTRARE EST AGGRESSVS
CVM PRIMIS COMPARANDO
VITAE VERO INNOCENTIA MORVMQVE SVAVITATE
VNI MORTALIVM ADMIRABILI

VIXIT ANNIS LXXIX MENSIB. VIII DIEB. XVII
DECESSIT POSTRIDIE NON. SEXTIL. ANNO CIϽIϽCCCVIII

IOSEPHVS FRATRIS FILIVS
MEMORIAE ET GRATI ANIMI CAVSSA
PONENDVM CVRAVIT

L. D. D. C

De vita, et studiis *Viti Mariae Juvenatii commentariolum anno CIƆIƆCCCV exaratum.*

Vitus Maria Juvenatius Nicolai filius Castellanetae in Hydrunti provincia ad XII a Tarento lapidem ortus est X Kal. mart. anni 1727. Ejus patri humaniorum litterarum studiosissimo nihil fuit antiquius, quam ut nati mores mature formarentur, eidemque latinae, atque italicae linguae rudimenta proponerentur. Quod utrumque tanta docilitate, atque animi contentione puer praestitit, ut brevi patris spem superasse videretur. Cum vero acrioris ingenii certum specimen quotidie exhiberet, et nova in dies discendi libidine incenderetur; urbem annos XV natus eo consilio petiit, ut Societatem Jesu, si fieri posset, ingrederetur, quod sane facillime obtinuit idibus decembris anni 1742.

Societatem simul ac adiit, exegitque tirocinium, caeteris omnibus posthabitis, litterarum, et philosophiae studiis toto animi conatu per quatriennium incubuit, summosque viros audivit, qui reliquis id temporis domi praestabant, et dum adolescentulus scientiis operam navabat, saepe res ipsa tulit, ut ejus acumen, ac praestantia ingenii splendesceret.

Eo studiorum curriculo emenso, expletoque XXI aetatis anno, cum ad erudiendam bonis litteris juventutem ex Societatis more unus aliquis destinaretur; selectus prae caeteris fuit, qui Neapoli in collegio maximo humaniores litteras publice doceret.

Interea factum est, ut novum a Societate collegium Brundusii institueretur. Quod quo felicio-

ribus auspiciis oriretur, ejusque fama citius increbresceret, consilium satis opportune initum est eo praeceptores mittendi, qui et facili instituendi methodo, et omnigena, qua pollerent eruditione, aliorum oculos in se converterent, et publicam opinionem sibi conciliarent.

Juvenatius cum aptior in primis ad id muneris visus esset, linguam graecam, et latinam doctum Brundusium profectus est. Idem paulo post ad presbyteratus ordinem vix evectus ephebei Aquilani studiis praeficitur, in quo philosophiam, ac theologiam tradidit, unde mox in collegium Salernitanum commigravit, idem certe honorificum, sed gravissimum onus suscepturus.

Ubicumque locorum Juvenatius vel juventutem erudivit, vel studiis praepositus fuit, summa cum laude se gessit, et suorum aeque, ac auditorum vota; atque expectationem mirum in modum superavit. In ejus ludum confluebant non cives modo, sed a proximis quoque oppidis advenae juvenes, virique. Tanto enim doctrinarum apparatu, tantaque eruditione in dicendo utebatur, ut omnes ad se raperet, omniumque animos incredibili voluptate perfunderet. Philosophica vero sic disquirebat, ut scholasticorum tricis, atque ambagibus vel rejectis, vel enucleatis, veritates in profundo demersae enatarent, quaeque tenebris circumfusae essent, clarae, ac perspicuae redderentur. In magistri nullius verba jurare addictus, philosophicos campos tutus matinae apis instar circumvolabat ea delibaturus, unde firmiora, ac sanctiora sapientiae dogmata eliceretur.

Haec dum alibi gerebantur, Juvenatii doctrinae, atque eruditionis fama in dies aucta urbem pervaserat. Ille enim in graeca, aliisque exoticis linguis

nulli secundus videbatur, in latinis vero carminibus condendis adeo praestabat, ut celebrioribus saeculi vatibus anteponeretur, cum antiquis vero, iisque elegantissimis facile contenderet. Hinc sane factum est, ut anno 1766. Neapolim accitus fuerit, quo poësim latinam, linguasque hebraicam, et graecam et in gymnasio S. Xaverii, et in ipso collegio maximo doceret, in quo munere obeundo frequentissima non juvenum modo, sed hominum quoque litteratorum corona quotidie circumdabatur.

Si illustrium discipulorum famae praeceptores quoque participes dicendi sunt, ex Juvenatii discipulis qui vel in regni provinciis, vel in urbe nomen sibi non ignobile compararunt, complures extitere. Eos recensere longum profecto esset, et fortasse etiam supervacaneum: quare satis sit unum, atque alterum meminisse, qui summa probitate, ac doctrina praediti, dum magistri laudi sunt velificati, patriae, reique litterarum publicae gloriam, atque splendorem auxerunt, Franciscum nempe Xaverium Gualterium Aquilanorum episcopum, et Horatium Antonium Cappellium in Siciliae transfretanae administratione regi a secretis, qui Juvenatium Aquilae primum andiverunt adolescentuli, ac deinceps ad extremum usque diem excoluerunt.

Mos erat apud Ignatianos vulgo receptus socium in singulis societatis provinciis eligendi, qui memoriae proderet quidquid scitu dignum accideret, quod ad societatem spectaret, isque provinciae historiographus dicebatur. Id muneris, quod erat honorificentissimum, et doctissimis, atque elegantissimis scriptoribus deferri solebat, Juvenatio in provincia Neapolitana commissum fuit, eodemque tempore demandata bibliothecae iesuiticae praefectura. Tot munera, atque honores, quae uni si-

mul Juvenatio aetate adhuc juvenili tribuebantur, satis ostendunt quanti apud suos haberetur. Ipse vero ita muneribus, studiisque suis animum intendebat, nihil ut otii sibi relinqueretur, nihilque temporis deperiret. Nihil autem aggrediebatur, quod mirandum in modum non absolveret, perficeretque. Legenda sunt quae de eo adhuc adolescente meminit praestantissimus vir Hieronymus Lagomarsinius in III volumine epistolarum Julii Pogiani pag. 34. *Earum*, inquit ille, *litterarum exemplum debeo singulari Viti M. Giovenazzii S. J. humanitati, in quo homine etiamnum adolescente, praeter humanitatem, uti dicebam, singularem, ita summum ingenium, ac potissimum memoriae vis incredibilis, cum mirifica discendi cupiditate, et acerrima studendi contentione certat, tantumque jam multiplicis doctrinae, atque eruditionis instrumentum apparet, ut, nisi qua forte res (quod omen superi avertant) ejus studiorum institutos cursus retardarit, nihil in ullo praeclarae litteraturae genere tantum sit, quod non eum brevi assequuturum putent, qui sunt ipsi praeclare, ac cumulate litterati.*

Sed jam tempus advenerat, in quo Societas Jesu pluribus alibi fluctibus agitata, suas quoque in hoc regno tempestates experiretur. Anno 1767 Juvenatius cum sociis omnibus exulare jussus, Anxur petiit, ibique tantisper constitit. Cum vero tunc temporis Romae degeret praeclarus vir Eustachius de Afflictis neapolitanus, ejusdem hortatu Romam commigravit, ubi litteratos homines non paucos invenit, quibus doctrinae, et eruditionis suae fama jamdiu innotuerat. Urbem vix ingressus, a doctissimis quibusque ibidem florentibus viris exceptus est singulari honoris significatione. Antequam vero tota Societas dissolveretur, quod accidit XII Kal.

aug. anni 1773, a Clemente XIV. P. M. postulavit, obtinuitque, ut clero romano adscriberetur. Neque multo post a principe Alterio bibliothecae suae praefectus est, quod sane munus Juvenatio fuit gratissimum. Cum enim inde nescio quid pecuniae menstruae, qua maxime ad necessarios vitae usus indigebat, et domus, quam ad extremum usque diem incoluit, suppeditaretur; in primis vero ille laetabatur, oblatam esse sibi opportunitatem suis obsecundandi studiis in tanta librorum rariorumque codicum optimorum copia, quibus bibliotheca illa affatim scatebat.

Dum Juvenatius Romae fuit, cum scientia, et elegantia in poësi praesertim latina, et in epigraphica maximi apud omnes haberetur; nihil in hoc genere edebatur, quod vel ab eo non componeretur, vel ab ejus pumice expolitum non prodiret. Summi enim, atque eruditissimi quoque viri illum hac de re consulebant, quod sane, cum omnibus innotesceret, a biographo Raymundo Diosdado Caballero traditum est in opere: *Biblioth. scriptor. S. J. supplemento altero pag. 39.*

Doctissimi ejus socii Franciscus Antonius Zaccaria, Josephus Mazzolarius, Raymundus Cunichius, Stephanus Antonius Morcellius, Raphaël Pastor, Hieronymus Tiraboschius, et Joannes Andresius, si quid dubii in antiquis linguis occurreret, eum adibant, ejusque sententias, semper exquisita eruditione plenas, nunquam a veritate alienas tanquam edita Delphis oracula reverebantur. Revera Morcellius vir eruditissimus in *electorum libris pag. IX.* de Juvenatio sic scribit: *Hunc aevo nostro grammaticorum principem ex veterum sensu non immerito dixeris: in quo acerrimum ingenium, sincerum, ac subtile judicium, praeclara*

eruditio atque doctrina inventa sunt. Neque minor apud omnes fere totius Europae litteratos, ac praecipue Neapolitanos erat ingenii illius, doctrinaeque existimatio. Ex primis Jacobus Jonas Bioernstaelius clarissimus philosophiae, ac linguarum orientalium professor in academia Upsalensi, cum Romae degeret, verba faciens de hominibus litteris, ac ingenio praestantibus, non dubitavit dicere, Juvenatium esse doctissimum prae caeteris Romae tunc temporis commorantibus praesertim in antiquis monumentis illustrandis, ac in poësi latina. (*Bioernstaehl - Lettere ne' suoi viaggi stranieri tom. 3 lett. 1 pag. 17*), cumque Clementi XIV. P. M. uti sapientiorem omnibus societatis Jesu viris summopere commendavit (Idem cit. op. tom. 2 lett. XI pag. 226). E nostris vero Alexius Symmachus Mazochius, Jacobus Martorellius, Salvator Aula, Nicolaus Ignarra, Josephus Aurelius de Januario, Hieronymus Jordanus, Franciscus Seraus, Dominicus Diodatus, Carolus Rosinius, Nicolaus Angelius, Adeodatus Maro, Eustachius de Afflictis, Nicolaus Ciampittius, et Franciscus Danielius Juvenatium et eloquentem oratorem, et elegantem poëtam, et eruditum historicum, et summum theologum, ac philosophum, et epigraphicum scriptorem nulli comparandum habuerunt.

Verum quantum ejus viri acumen esset in re litteraria, et quam emunctae nares, tum maxime cognitum est, cum Paulus Jacobus Brunsius a Lubeca ejus familiaris dum in bibliotheca Vaticana anno 1772 libros hebraicos veteris testamenti recenseret, in codicem membranaceum Palatinum num. XXIV extra notatum incidit, quem bibliographi trito vocabulo *rescriptum* vocant. In eo latina quaedam antea scripta fuerant, quibus dein-

de deletis, sacri libri Tobiae, Judith, Job, atque Esther, aliaque id genus exarata videbantur. Brunsius inter lineas novae scripturae latina verba non prorsus deleta animadvertit, quae ad fragmentum nondum editum orationis Tullii *pro Roscio* pertinere opinatus est, cujus rei Juvenatium statim monuit, eumque, ut sibi praesto esset, etiam atque etiam rogavit. Hic in Vaticanam advolavit, ubi re penitius introspecta, Brunsium hallucinatum, et nubem pro Junone complexum fuisse deprehendit. In codicis enim margine, et inter veterum characterum lineas fragmentum libri XCI historiae T. Livii de Hispaniensi bello contra Sertorium non sine ingenti animi voluptate detexit. Illud igitur principis historiae Romanae κειμήλιον celerrime exscripsit, eruditissimisque adnotationibus illustratum in lucem edere festinabat, ut cum harum rerum amatoribus communicaret. At non defuere tunc temporis Romani quidam non obscuri nominis, qui sibi ipsi plaudentes summam eruditionis apicem attigisse gloriabantur. Hi rati nihil in eo codice contineri posse praeter illa, quae insignis praesul Josephus Blanchinius, aliique philologi observaverant, Clementem XIV P. M. adierunt, eumque enixe rogarunt, ut impediret, quominus fragmentum Livianum litteris jam impressum, quod suppositum omnino existimabant, ederetur. Pontifex, ea qua pollebat prudentia usus, rem Francisco Xaverio de Zelada, Petrensi archiepiscopo, qui postea S. R. E. cardinalis fuit, demandavit. Hic Petro Aloysio Galletio abate tunc Casinensi, ac in bibliotheca Vaticana scriptore latino, Josepho Aloysio Amadesio ecclesiae Ravennatis archivio praefecto, aliisque eruditis viris in consilium adhibitis, fragmentum genuinum esse de-

prehendit, confirmavitque. Hinc Romae primum editum est anno 1773 ita inscriptum *Titi Livii historiarum libri XCI Fragmentum* ἀνεκδοτον, quod quanto eruditorum plausu exceptum fuerit, nihil est ut pluribus explicandum videatur. Editionem Romanam Neapolitana longe auctior, accuratiorque eodem anno subsecuta est, cui addita fuit epistola Cajetani Migliorii de quibusdam Tullii fragmentis in eodem Vaticano codice observatis. Idem deinde prodiit Parisiis, Lipsiae cum praefatione viri illustris Augusti Ernestii, et Bassani cum reliquis T. Livii operibus.

Anno 1773 Juvenatius victis obtrectatoribus, qui pro fragmento Liviano ei bellum intulerant, dissertationem italice exaratam Romae edidit de *Urbe Aveja* in Vestinis, aliisque antiquae memoriae locis, in qua inscriptiones XXIII primus omnium protulit, et mascula eruditione plura scriptorum loca correxit, ac vetusta monumenta illustravit; quod opus non minori elegantia, quam doctrina conscriptum summa laude ornarunt Pisana prae caeteris litteratorum diaria, uti videre licet vol. 10 pag. 189, et doctissimus Morcellius in libro superius enunciato.

His omnibus de rebus factum est, ut eruditorum Romam adventantium prima cura fuerit Juvenatium adeundi, eumque consulendi de iis, quae in Graecis, Latinisque classicis scriptoribus difficilia, et obscura viderentur. Revera, cum elegantissimam carminum Propertii editionem adornaret sapientissimus vir Laurentius Santenius Batavus; Joannem Andream Munterum ad Juvenatium misit rogatum, ut quidquid in Propertium observatum, adnotatumque illi esset, cum Santenio communicaret, cui certa spes erat, illis animadversionibus

non paucam vati quidem elegantissimo, sed interdum subobscuro lucem accessuram. Is humanissime exceptus est, votique compos factus Sautenius in Propertiana nitidissima editione, quam protulit Traiecti ad Rhenum anno 1780, se plurimum Juvenatio debere confitetur, quod in tribus quoque latinis epistolis praestitisse novimus. Hic autem animadvertendum puto Sautenium bibliothecae Vaticanae custodem Juvenatium dixisse, quod ei munus nunquam traditum est. Doctissimus vero Jacobus Jonas Bioernstaelius Suevus, Joannes Baptista Ansius Villoisonius Gallus linguae graecae callentissimus, Carolus comes Firmianus Germanus vir eruditissimus, litteratorumque patronus, aliique exteri summi viri epistolare commercium ultro citroque cum Juvenatio agitabant, quem philologorum principem facile existimabant.

Cum consilium sane regium, ac salutare paludes Pontinas exsiccandi, quae finitimis, et circumpositis regionibus gravissima inferebant damna, Pius VI P. M. cepisset, egregium architectum, et aquilegem Cajetanum Rapinum huic operi destinavit, cui Juvenatium mathematicis disciplinis summopere excultum addidit, qui et terrarum limites statueret, definiretque, et vetusta quae eruerentur monumenta illustraret. Ea de caussa in Pontinas paludes uterque se non semel contulit, atque opus arduum quidem, et antehac intentatum auso vere romano jam incoeptum celerrime progrediebatur; at quominus ad eam denique formam, quam Pontifex desiderabat, et Rapinus excogitaverat absolveretur, immatura Rapini mors, quae accidit anno 1796, et politicae tempestates, quas deinde Roma experta fuit, impediverunt.

Anno 1781 Romae apud Lateranum veteres non-

nullae picturae inventae sunt epulum Saliare exhibentes, quas Joannes Christophorus Amadutius illustravit. In easdem nonnulla, et quidem eruditissima Juvenatius conjecit, quae italice scripsit, ac deinde anno 1783 sine auctoris nomine, in vol. 8 *Anthologiae Romanae* edita sunt, quibusque a typographia *De Propaganda* rursus in lucem prolatis auctoris nomen additum est. Idem, cum ab Octaviano scalptore picturae Farnesianae Romae in publicum ederentur, singulis latina lemmata elegantissima inscripsit.

Juvenatius latina carmina non pauca condiderat, eaque diversis temporibus, varioque metro. Cum tamen a typorum usu natura sua abhorreret, nihilque aeque, ac sui nominis celebritatem aversarētur, aeternis forulorum carceribus damnasse videbatur. Nihilominus impedire non potuit, quin pauca anno 1780 in *Anthologia Romana* ederentur. Doctus deinde ejus discipulus, et amicus antistes Gualterius instanter rogando, ac prope cogendo nonnulla ab eo carmina extorsit, quae jam editis, aliisque elegantiorum saeculi XVI vatum nondum prolatis addita Neapoli anno 1786 typis Simonianis mandavit.

Carmina isthaec, quae novam auctori gloriam pepererunt, perspicuitate, atque elegantia cum iis contendunt, quae illustriores saeculi Augusti poëtae condiderunt. Metrorum varietas, dicendi vis, concinnitas, veneresque, quibus ubique scatent, satis ostendunt, eum poëticos flores undique decerpsisse, et in succum, ac sanguinem convertisse. Hendecasyllabi, et elegiae gratias imitantur, quae cantori Lesbiae astiterunt. Vatis imaginationi audaci, ac fervidae plura simul offeruntur, quae cum brevi spatio coërceri nequeant, hexametri,

ac pentametri cancellos saepissime praetergrediuntur. Hinc autem armonica illa gravitas, et copia oriuntur, quas in Tirthei, Callimachi, Propertii, et Catulli elegiis tantopere admiramur.

Cum apud romanos Pontifices in more positum esset, ut regibus in Christi fide defunctis parentaretur, plus vice simplici Juvenatio latinam orationem exarandi munus delatum est. Hinc anno 1786 cum Petro III Lusitaniae regi fidelissimo Romae justa persolverentur, Hieronymus Alterius latinam de more orationem coram Pio VI P. M. recitavit, ac postea in lucem edidit, quam Juvenatium composuisse comperimus. Idem alteram latinam orationem scripsit, cum suprema officia redderentur Carolo III primum utriusque Siciliae, dein Hispaniarum novique orbis regi memoriae apud Neapolitanos praesertim immortalis, quam Bernardinus Ridolphius protulit, et anno 1789 Bodonius Parmae edidit. In hujusmodi orationes oculos conjicere satis est, ut quae in Juvenatio fuerit oratoria facultas, quae dicendi gravitas, quantus nitor, quanta denique sententiarum praestantia facile intelligatur.

Anno 1787, cum ob lapidem Romae extra portam Salariam in coemeterio SS. Saturnini, et Trusonis inventum acerrima lis inter P. Paulum, et Cajetanum Marinium virum ingenio, doctrina, ac morum elegantia clarissimum efferyesceret, utrum PAPA SANTIMIO, an PAPAS ANTIMIO legeretur, suos quisque patronos nactus est. At pluribus pro utraque sententia jam editis, P. Paulus doctissimorum hominum judicio caussa cecidit. Occasionem hinc sumpsit Juvenatius P. Paulum insectandi, quem elegantissimis quidem facetisque, sed satyricis carminibus non semel arripuit.

Vincentius Bolgenius anno 1789 librum Romae publica luce donavit, cui titulus: *Il Vescovato, o sia della Podestà di governare la Chiesa*. Juvenatius, cui bellum nescio quod litterarium Bolgenius indixerat, ne auctor plus aequo sibi placeret, aliosque despiceret, opus illud excutiendum sibi sumsit, cujus caput VI praecipue corripuit in opusculo: *Saggio della buona fede, e del criterio dell' ex-gesuita Bolgeni autore di un libro sull' Episcopato*, quod Florentiae anno 1792 typis Antonii Josephi Paganii prodiit. Hic Juvenatium videre licet non historiae tantummodo sacrae, sed canonum quoque, juris publici ecclesiastici, ac Theologiae peritissimum. Dignum sane opus, in quo eloquentiae robur cum argumentorum pondere certat.

Sed ad extremum vitae diem Juvenatius jam properabat. Ejus valetudinem natura licet firmissimam et diuturni in colendis studiis labores, et aetas ingravescens, et rerum, quae ad aetatem illam mollius tractandam necessariae sunt, inopia sensim sine sensu infirmarunt. Mense iunii anni 1805 pituita correptus est, qui morbus solet esse senibus perniciosissimus, cumque vires paullatim deficerent, demum IV. Kal. iulias apoplexi tactus diem obiit supremum, ac postridie inter omnium bonorum lacrimas elatus in aede Divi Stephani de Cacco positus est, ubi adhuc sine ullo tumuli honore delitescit.

Juvenatius fuit statura paulo longiori, sed gracili corporis habitu, fusci coloris, orisque patuli. Frontem habuit amplissimam, tempora cava, oculos caeruleos, nasumque longum, et aquilinum.

Puer aeque, ac vir in moribus atque vestitu gravitatem quamdam prae se tulit, quo fiebat, ut

neque jocis, neque voluptatibus, neque comessationibus indulgeret, perraro in publico versaretur, totus sibi, musisque suis intentus. Fastus, et vanitatis hostis acerrimus, aequalium familiaritate usus est, eosque praecipue coluit, qui litteris operam navabant. Suspiciosus quodammodo natura fuit in suos quoque familiarissimos, in callidorum tamen, versutorumque hominum laqueos facillime incidit. Licet prima fronte asper in ignotos, et interdum etiam trux videretur, tamen postquam ingenium, moresque perspexerat, humanitate, et comitate nemini fortasse fuit secundus. Ingenue, et sine ulla ostentatione veritatem suo etiam damno coluit, quod si aliquando dictis, scriptisque truculentior visus est, ea de causa factum est, quod maximo veritatis defendendae amore exardesceret, quae, quamvis ortum a caelo ducat, odium inter homines haud raro parit.

Juvenatius acri ingenio, doctrinaque varia, ac multiplici praeditus, quae feliciter excogitavit, eleganter, atque ornate disposuit. Scriptores hebraicos, graecos, ac latinos adeo calluit, ut qua vellet lingua uti, omnia ligata aeque, ac soluta oratione facillime eloqueretur. Stili autem elegantiae, ac suavitati robur addebant cognitiones ab omnigena eruditione, ac doctrina depromptae, sine quibus voces rerum inopes, et canorae nugae vix obtinentur.

Philosophiae studio sibi veridico, ac sapienti satis consentaneo maximopere delectabatur. Inter philosophos vero Platonem, ac Ciceronem suspexit, quos velut humanae sapientiae antesignanos habuit, in quorum lectionem ad senectutem usque accuratissime incubuit, tantoque successu, quantum ejus opera ostendunt. Inquiebat enim horum li-

bros solos satis esse ad sermonis elegantiam, concinnitatem, et copiam adquirendam, et ad philosophiae, politicae, et moralis cursum absolvendum. In re sacra epistolis Divi Paulli praecipue studuit, quas veluti puros, et abundantes scientiae theologicae fontes existimavit. In iis, quae ad jus ecclesiasticum pertinebant, prae oculis semper habuit synodos oecumenicas, ecclesiae patres, canonesque: hujusmodi vero res sapienter, erudite, maximaque animi ingenuitate pertractavit. Quod mirifice ostentavit, cum Aquilae, ac Salerni Theologiam docuit, cumque in Bolgenii *episcopatu* non pauca reprehendit, ac refutavit.

Atque ex iis, quae cursim attigimus, intelligere quisque potuit qualis, quantusque vir exstiterit Juvenatius: quod sane facilius appareret, si quidquid homo laboriosus conscripsit, lucem adspexisset.

Hinc merito Nicolaus Ciampittius viri summi studiosissimus in elegantissima elegia anno 1806 Neapoli edita de Juvenatii obitu sic loquitur:

OPTIME VITE, TVIS AETERNVM FLEBILIS, ATQVE TOTI ADEO, QVA SE PORRIGIT, ITALIAE FLEBILIS. ECQVIS ENIM POTIS EST EDICERE QVANTA JACTVRA EXSTINCTO FACTA SIT HOC HOMINE? QVANTAQVE SIT CLADES STVDIIS ILLATA BONARVM ARTIVM? . . . .

Juvenatii opera inedita.

Juvenatius plura licet scripserit, pauca admodum evulgavit. Nam praeter opera, quae meminimus, et orationes, carmina, atque inscriptiones, quae alieno nomine prodierunt, quod eruditissi-

mus Stephanus Antonius Morcellius in *Electorum libris* pag. XI, et Franciscus Cancellierius in ejus elogio edito in volumine II *Memoriarum Encyclop. Roman.* testantur, non pauca adhuc inedita delitescunt. Versibus, et innumeris inscriptionibus posthabitis, reliqua Juvenatii opera typis non dum commissa, quae mihi ad hanc diem innotuerunt, haec ferme sunt:

1. *Vincentji Lirinensis defensio a nonnullis de Pelagianismo, aut semipelagianismo reprehensi.* Hujus operis doctrinae theologicae et sacra, ac profana eruditio praecipua sunt ornamenta.

2. *Commentaria in Phaedrum.* Plures hic Phaedri versus vel corriguntur, vel illustrantur artis critices, veterumque scriptorum ductu, auspiciisque.

3. *Dissertationes in hymnum S. Hilarii de Christo.* In his dissertationibus maxima elegantia latine scriptis nihil est sacrae, ac profanae historiae, nihil eruditionis, quod desideres.

4. *Commentaria in Catullum.* Juvenatius in hujus vatis lectione accuratissime incubuit, tantoque successu, quantum ejus carmina demonstrant. In hujusmodi commentariis conficiendis usus est Veneta Catulli editione anni 1738, curante Joanne Francisco Corradinio de Allio. Primum omnium veras lectiones Catulli statuere satagit, quem Victorius lib. XX. cap. 24 *variar. lection.* queritur *adeo mendosum, lacerumque inveniri, et, quod dolorem auget, hujusmodi esse vulnera, quae illum confecerunt, ut sanari non posse videantur.* Ut id adsequeretur, editionem, quam prae manibus habebat, manuscripto saeculi XV. comparavit, tricisque omnibus explicatis, tantam in Catullum lucem spargit, ut nova illum vita donasse dixeris. Hic Juvenatium videas graecorum, latinorumque

scriptorum peritia, et grammaticae, poësis, historiae, ac summae praesertim critices praeceptis usum siuceras locutiones nou paucas expiscari, et Aldos, Vossios, Scaligeros, Vulpios, aliosque doctissimos viros, qui antehac de Catullo scripserant, emendare.

5. *Illustrationes omnium inscriptionum, quae Augusto consecratae fuerunt.*

6. *Adnotationes in vitam Innocentii XI. a Bonamicio scriptam*, quae asservabantur in bibliotheca Albana.

7. *Adnotationes in dissertationem Antonii Mariae Lupi ad nuper inventum Severae Martyris epitaphium Panormi 1734.* Hic errores uon pauci, in quos Lupus incidit, deteguntur.

8. *Commentarium in carmina Divi Paulini Nolani Episcopi.* Magnum certe opus sacra, et profana eruditione, ac veterum liuguarum scientia undique refertum. Quisquis id commentarii publici juris facere adlaboraverit, iu publica commoda procul dubio symbolam couferet non parvam.

9. *Dissertationes de Versibus Plauti.* Plautus post Catullum Juvenatio arrisit, in cujus emendationem, illustrationemque sudare, atque algere uon semel visus est. Eteuim uovimus Nicolaum Eugenium Angelium, virum litteris, moribusque praestantem cum Plauti comoedias italicis versibus reddendas suscepisset, saepissime iu sua difficillimi scriptoris interpretandi ratione Juvenatium consuluisse, quo neminem melius Plautinas veneres callere arbitrabatur, cuique postea VI. volumen suae versionis dicavit.

10. *Fragmenta Augusti.* Haec duplo magis aucta sunt, quam quae a Joanne Alberto Fabricio prodierunt.

11. Illustrationes, et correctiones antiquorum poëtarum Christianorum.

Haec praecipua sunt inedita Juvenatii opera, quorum meminisse licuit. Plura fortasse alia desiderantur, quae adhuc frustra sperare visi sumus. Cum enim domi principis Alterii Juvenatius Romae interiisset, Franciscus Cancellierius in ejus elogio testatur se Carolum Alterium latinum in Vaticana bibliotheca scriptorem hortatum esse, ut omnia Juvenatii scripta ad commune rei litterarum publicae commodum proferret. Quamvis eruditorum desideria secundos exitus sortita hactenus non sint, sperandum porro est, illud saltem non futurum quod Raphaëlis Pastoris viri litteris excultissimi elegia in Juvenatii obitu elucubrata portendere videtur, quae carminibus his clauditur:

ET SALTEM O NOBIS ILLA AVREA NVNC SVPERESSENT
SCRIPTA TVA! AVT VAFRI SVRPVIT ILLA MANVS
NESCIO QVAE, CONATV OMNI, STVDIOQVE PETENDA,
ET QVOVIS PRETIO QVAE REDIMENDA FORENT.
AT CAVEASQ VICVMQVE EA SCRIPTA RECONDIS, HONOREM
NE STVLTO EX ILLIS POLLICEARE TIBI.
NAMQVE VBIVIS ALIO EMERGANT SVB NOMINE, PLENIS
CLAMABVNT EVCCIS: NOS TVA, VITE, SVMVS.
ESSE NEC ALTERIVS POSSENT, QVEIS LARGITER ILLA
SPONTE FLVVNT, ROBVR, COPIA, FORMA, NITOR.

Viro eruditissimo *Cajetano de Ancora Josephus Castaldius S. P. D.*

Quod mihi diu fuerat in votis, id forte fortuna obtinlit. Ex quo enim tuos libros in manibus habui, eosque non semel quidem, sed iterum, ac saepius, nec sine magna voluptate legi, valde exoptabam, ut tui adeundi mihi facultas aliqua daretur; cum ecce mihi praeter opinionem se sistit Laurentius Justinianus, qui multis verbis tuas laudes prosequutus, me tibi facile adjuncturum pollicitus est. Verbis dici nequit, quanta voluptate perfusus fuerim, hoc nuntio accepto, quantumque debeam Laurentio amicorum optimo, per quem mihi ad te aditus patuit. Numquam profecto tanti beneficii recordatio ex animo excidet. Sed haec hactenus. Maximopere igitur tibi gratulor, vir eruditissime, de tuo opere, quod nuperrime luce donasti (1). Illud enim rara doctrina, et multiplici eruditione ita abundat, ut quantum rei litterarum publicae profuturum sit vel ille intelligat, qui per summa, uti ajunt, capita legerit. Argumentum prorsus novum est, et necessarium, aliisque summis viris adhuc intentatum. Ac certe nihil a te nisi perfectum, numerisque omnibus absolutum expectari licebat, qui multos annos in investigandis graecis, latinisque auctoribus insumsisti: qua quidem litterarum parte, quae singulare aliarum praesidium, et quoddam veluti firmamentum habenda

(1) *Della economia fisica degli antichi nel costruire le città. Napoli 1796.*

est, longe caeteris antecedis. Ex ipsius enim comprehensione tanqnam ex uberrimo fonte quaquaversum pro re nata rivuli deducuntur. Nam, cnm omnia studia ita apta inter sese, et connexa sint, ut, si nihil aliud, mirificam certe alterum ab altero lucem mutuetur; quis non videt ad scientiarum, graviorumque studiorum cognitionem graecae, latinaeque linguae notitiam plurimum conducere, maximamque utilitatem ex illarum antiquitate consequi? Itaque jure majores nostri voluerunt, ne a veterum monumentorum studio abhorrerent ii, qui in quocumque litterarum stadio citius, feliciusque progredi vellent. Omnino quidquid prisci illi scriptores edixere de civilibus, de judiciariis, de militaribus, de sacris, de ludicris, aliisque id genus rebus sexcentis; id omne ad publica regenda negotia, ad judicia exercenda, ad militiae disciplinam obtinendam, ad reliqua omnia ineunda officia planissimam quasi sternit viam. Quod quidem frustra quisquam sine antiquitatis studio persequi, atque comparare conabitur. Cum enim latinitas, ac scientiae omnes e barbariae colluvione, atque ex infelicium saeculorum caligine emerserunt, viri ingenio, et doctrina summi in id unice incubuerunt, ut veterum scrutarentur monumenta, et ad illustrandas antiquitates universo animi studio se converterent; cnm pro certo haberent, tunc tandem illis omnem omnino lucem affusum iri, ubi hae in apertum, solemque prodiissent. Neqne tamen desunt quidam *Alambertii* (1) sectatores, qui novis rebus studentes, venerandas antiquitates pro nihilo habere, et ausn temerario pos-

(1) Duabus orationibus in graecam, latinamque linguas invectus est *Alambertius* vir caeteroquin doctissimus.

se scientias addisci per interpretes asserere non dubitant. At sileant isti verbis potius, quam rationum momentis pollentes, vocemque stultitiae comprimant, ac si rem antiquariam omni hominum generi utilissimam, ejusque praestantiam edoceri funditus cupiant, adeant, quaeso, Petavium, Scaligerum, Arduinum, Joannem Baptistam Vicum immortalis memoriae virum, et meritissimum nostrum Philologiae antesignanum Mazochium, quibus facillime detur intelligere, non minimum ex lapidibus, totaque philologorum sparta lucis effundi scientiis omnibus, ac tunc litteras refloruisse, cum eruditorum natio totis viribus antiquorum monumenta illustrare, et commentari sategerit. Quantus vero Jurisprudentiae splendor ex hisce studiis affulserit, ex hoc uno cuique late patebit, quod, ubi antiquitatum studium revixit, tunc statim ea, posito squalore, ad pristinum robur, ac decus fuerit revocata: qualis nunc certe in tanta saeculi luce mirifice effulget. Innumera profecto possem in hanc rem exempla proferre, quae cum in medio sint posita, brevitatis ergo libenter praetermittam. Uni acquiescam Ferdinando IV. regi nostro providentissimo (quem D. O. M. diu publico bono sospitet incolumem), qui, quas academias, ad isthaec recolenda studia, optimo consilio ejus pater Carolus III. multis nominibus magnus instituit, has sedula cura exornandas curavit, et selectissimos quosque viros, aliis, aliisque muneribus undique allicere, atque excitare non destitit. Quo factum est, ut cives, atque exteri omnes eruditi prae caeteris veterum litterata marmora venerentur mirabundi. Sed quid multa de re tam praeclara? redeam, unde discessi. Tu, vir eruditissime, brevi praeceptoris tui Horatii Jacobi Martorelii, viri

ingenio, et fama praeclarissimi, miram eruditionem, doctrinamque adaequasti. Atque hinc fuit, quod statim regis amantissimi jussu suorum scriniorum in rebus ecclesiasticis cura tibi sit demandata. Quod munus quanta dexteritate, ac prudentia sustines, monitore opus non est. Cuique enim vel ignotissimo satis abunde patent tua prope divina consilia, quibus perplexissimas quaestiones perbelle enodas. Verum ingenii tui lumen clarissimum diutius sese inter nostri regni fines continere nequivit, atque foras erumpens ad longe dissitas gentes incredibili celeritate pertigit. Quamplurimis enim illustribus totius fere Europae academiis, non sine magna tui nominis laude, et collegarum voluptate, adscribi promeritus es. Te igitur una virtus, te boni mores ad tot, tantorumque honorum culmen jure, meritoque evexere. Perge porro, vir eruditissime, macte novis laudibus, et Neapolim nostram litterarum laude omni aevo florentissimam novis operibus illustrare ne cesses. Vale, meque tui studiosissimum, ut facis, ama.

Ex Afragola oppido in agro neapolitano X. Kalendas septembres an. CIƆIƆCCXCVI.

Viro clarissimo *Francisco Danielio regio historiographo Ioseph Castaldius S. P. D.*

Nicolaus Ciampittius praeceptor olim meus tum bonis quibusque artibus, tum praesertim cultura, et sobrietate carminum cum elegantissimis ex omni antiquitate comparandus, ad leniendum incredibilem dolorem, quem ex praematuro dulcissimi fratris obitu ceperat, elegiam conscripsit. Eam a Donato Lilio institutore item meo doctrina, moribusque ornatissimo cum accepissem, nescio quid Atticae venustatis in ipsa deprehendi, nativamque latini sermonis elegantiam, quam omnes in Ciampittio semper sumus admirati: in eamque cogitationem statim veni, me, si illam typographicis formis describendam curarem, gratiam non parvam apud omnes cultioris latinitatis amatores initurum, hoc potissimum tempore, quo Romana Suada ludibrio, et despectui est nostris hominibus. Jam eam elegiam, Francisce Danieli, tibi sisto, viro in omnis aevi doctrina summopere versato, antiqua virtute, et fide, et quod caput est, auctoris, supra quam credi potest, studiosissimo. Te vero rogatum volo, ut hoc qualecumque diligentiae meae, inque bonas artes amoris specimen, aequi, bonique ducas, meque, ut facis, amare pergas. Vale.

Neapoli IV. kal. januar. an. CIƆIƆCCCIII.

Angelo Maio viro praestantissimo nunc S. R. E. cardinali Josephus Castaldius S. P. D.

Respondebo paucis: innumerae, gravesque tum domesticae, tum forenses occupationes me saepius quam vellem a scribendo avocant. Dii te, Angele, musaeque omnes fortunent, ob mellitulas hercle, et elegantissimas latinas litteras, quas hesterna die vir ingenio, et scriptis celeberrimus Joannes Andresius a te mihi tradendas curavit. Eas enim plenas amoris, officii, humanitatis, et nescio quid suave Tullianum redolentes libentissime perlegi: versus vero italicos earum calci adpositos venusto sane conscriptos stylo maximopere sum admiratus. Immortales tibi ago gratias, habeboque dum vivam. Dum tempus, vires, ingeniumque, caelesti non sine munere ad maxima quaeque factum, suppetunt, perge, enitere, ut doctissima quotidie in utraque lingua edas virtutis specimina, clarissimamque Jesu Societatem, cui sacramenti vinculo es addictus, novis operibus illustres. Cura ut valeas, meque, uti facis, ama.

Neapoli IV. kal. febr. an. CIↃIↃCCCIV.

Optimae spei adolesenti *Thomae de Rosa ex marchionibus Villacrosac nunc XXIV viro M. Curiae a publicis rationibus Josephus Castaldius S. P. D.*

Musae te fortunent, mi Thomas, ob elegantissimam sane latinam epistolam, quam hesterna die ad me dedisti. Fortius aude, optimae spei adolescens, et dum aetas, viresque patiuntur, para, ut digna te, doctissimisque majoribus tuis edas sapientiae specimina. Ubi tenellum animum ad hanc efformaveris, nullae te unquam juveniles intemperiae a semel instituto cursu abripient. Obdurandum itaque, et, si quando recreandi gratia a studiis bonarum artium tantisper remittendum, sit illud ocium a liberalibus, ingennisque exercitationibus haud omnino sejunctum, sed, ut Plautino utar verbo, *negociosum*. Etenim auspiciis, et ductu tui optimi praeceptoris Jacobi de Stephano (1) clarissimos quosque doctrina, et prudentia nostrae Italiae viros te si minus supergressurum, at certe aequaturum confido. Ut vir eruditissimus Franciscus Danielius tui, tuorumque studiosissimus utramque epistolam tuam perlegat diligentissime curabo, mihique videre jam videor Danielium te deosculantem, tibique summopere gratulantem.

M. T. Ciceronis, et Q. H. Flacci libris diu noctuque insudes, te hoc unum etiam atque etiam rogo. Vale, et decus tuorum propriis virtutibus auge.

Ex meo museolo XVIII Kal. mart. an. CIϽIϽCCCIV.

(1) Jacobus de Stephano Afragolae natus, litteris, moribusque insignis, sui unius commendatione nunc canonicus cimeliarcha ecclesiae Neapolitanae, et rector seminarii dioecesani clericorum.

Viro sapientissimo *Francisco Danielio regio historiographo Joseph Castaldius S. P. D.*

Non te fugit, Francisce Danieli, quibus plausibus eruditissimi quique exceperint Nicolai Ciampittii elegos in fratris obitu, quos superiore anno, te potissimum auctore, atque impulsore, typis mandandos curavi. Is nunc, cum alterum carmen ob ereptam sibi dulcissimam parentem eodem versuum genere elucubraverit, quod non multis ante diebus mecum communicavit; statui pariter in apertum proferre; ratus harum litterarum studiosis aeque jucundum id fore, meque parem ab iisdem gratiam initurum. Quo enim rariora sunt quae *auspice*, ut ille ait, *musa* cuduntur, eo magis danda nobis opera est, ne simul nata simul intereant, sed publicae lucis usura fruantur quam diutissime. Nam quod rudi, atque inficeto (dicendum est enim) hoc saeculo ab his abhorreant litteris nostrorum plerique, qui philosophos se dici volunt, qui ad mathematicorum, et physicorum auditoria vix a lacte depulsos pueros ducunt, qui linguarum graecae, latinae, et hujus, qua nunc vulgo utimur, studia flocci faciunt, qui ipsa Musarum sacra (sine quibus quae esse potest vitae jucunditas, quae suavitas, quae humanitas?) nugas otiosorum, et anicularum deliramenta putant; equidem nihil hos moror: sint judicio suo beati. Egone illud cum poeta (1) confitebor? *Ego odi homines ignava*, utinam vero istuc tantum, nec potius exitiali! *opera*, *philosopha sententia.* Sed de his satis: ad elegos redeamus,

(1) Pacuvius apud Gellium lib. 13 c. 8.

in quibus elegans viri ingenium, et reconditiorem doctrinam cum ipse facile agnosces, tum qnam proxime ad auream illam veterum, et Catulli in primis simplicitatem accesserit, non sine voluptate animadvertes. Optabis mecnm quidem certe, ut quamplurima id genus et mihi per auctorem emittere, et tibi legere liceat. Sed frustra fortasse id ab homine speramus sane quam demisse de se, rebusque suis sentiente. Interim, quod possum, Francisce, hoc ad te ejus carmen mitto, in eoque tu, qua soles comitate, me, et praeceptorem olim meum tam docti, tamque venusti poëmatis auctorem amabis, valetudinemque tuam litterarum, atque amicorum bono curabis diligenter.

Neapoli kal. decembr. ann. CIϽIϽCCCIII.

Praefatio *Nicolai Ignarrae opusculorum editioni praefixa.*

En tibi, bnmanissime lector, Nicolai Ignarrae Opuscula, quae typographicis formis describenda curavi. Te facile operam probaturum meam confido: nam quae mens olim auctori nostro fuerat, eadem profecto mihi colligenti fuit. Illi equidem, qui totam aetatem in studiis bonarum litterarum unice traduxit, id consilii, quum labores suos evulgaret, fuit, ut instrueret, exemploque suo adolescentes informaret, et ad majora etiam molienda excitaret. Sed praeter ea, quae eruditorum virorum manibus ferebantur, nonnulla adhuc restabant, quae aut inedita in forulis delitescebant, aut edita pridem, et oppido rara, passim efflagitabantur. Itaque ut ipse quoque pro mearum virium modulo rei litterarum publicae prodessem, hoc in me recepi, ut et illa non sine labore ex auctoris schedis descripta edi curarem, et haec nova luce donarem, inque unum corpus redacta volumen conficerent: nec mediocrem, nisi me mea fallat opinio, ex mea hac diligentia apud studiosam juventutem gratiam initurum spero. In hisce enim lugubrationibus habebit sane, quod sibi ad imitandum proponat: tanta ubique maturitas judicii, robusta eloquentia, vastissima eruditio, et quod ante omnia ponendum est, castigatissima ad optimae ethices obrussam cogitandi, scribendique ratio elucescit. Nimirum noster in utraqne persona tum litterati viri, tum probi hominis sustinenda plane fuit admirandus. Siquidem ita vitam instituit snam, ut reprehendi potnerit a nemine; scripsit autem, ac docuit quae a litteratis viris

suspiciuntur. Tuum erit interea, lector humanissime, operam nostram in his edendis locatam probare, quod si feceris, beneficio me devincies singulari, animosque addes ad majora in tuum commodum audenda. Vale.

Eruditissimis viris *Neapolit. academiae Historiae*, *et Antiquitatum Josephus Castaldius S. P. D.*

Nicolai Ignarrae immortalis memoriae viri opuscula per me in unum collecta, prelisque commissa, ut primum lucem adspiciunt, vobis libentissime sisto, viri clarissimi. Neque id temere factum puto, cum sciam doctissimis, eruditissimisque viris maximo esse oblectamento quicquid scriptitarint ii, qui doctrina, atque eruditione ceteris praestitere. Quid quod Ignarrae lucubrationes vobis peculiari quodam jure debentur? Is enim rei litterariae neapolitanae, et academiae Herculanensis, dum illa viguit, lumen exstitit splendidissimum, patriaeque, dum veteribus ipsius monumentis novam lucem affunderet, ornamentum singulare: atque, quod caput est, si mentis ille compos esset, vobiscum in vestro amplissimo consessu academici munere fungeretur. Quapropter nihil mihi opportunius visum est, quam ut doctissimi collegae opuscula ad publicam utilitatem edita vobis primum exhiberem, nominique vestro consecrarem. Munus gratum vobis fore certo scio, et laborem meum non improbaturos, devotique animi significationem, quae vestra est humanitas, benigne excepturos confido. Litterarum bono, viri sapientissimi, diu valete.

Neapoli idib. octobr. an. CIƆIƆCCCVII.

INSCRIPTIONES

PRIMA CLASSIS

DEO, AC SANCTIS DICATAE

(I) *Neapoli in festo D. Januarii anni 1795.*

DIVO IANVARIO
BENEVENTANORVM ANTISTITI
CIVI NEAPOLITANO
PATRIORVM DIVORVM PRINCIPI
VT PRAESENTISSIMO NVMINE
BELLA FAMEM LVEM
TERRAEMOTVS AC VESVVII IGNES
NOBIS PERPETVO AVERRVNCET
PVPLICA VOTA

II.

MAXIMIANI HERCVLII
TYRANNIDE SAEVIENTE
DIVVS IANVARIVS
CAPITE DAMNATVS
SVPPLICIIS ACRIORIBVS CONTEMTIS
MORTEM PRO CHRISTI LEGE
FORTISSIMVS LAETISSIMVSQVE
OPPETIIT

III.

NON EFFRAENATA PRAETORIS FEROCIA
NON BELLVAE NON FLAMMAE
NON VVLGI FVRENTIS ARDOR
MINVVNT VIRES PERTERRENT ANIMVM
DIVVS IANVARIVS
FIRMVS ERECTVSQVE
MORTEM SVBIT LIBENTISSIME
NOVAE BEATISSIMAEQVE VITAE OCCVRSVRVS

IV.

DIVVM IANVARIVM
IVSTVM TENACEM PROPOSITI IMPAVIDVMQVE
INIVSTA SECVRIS PERCVSSIT
FELIX TER ET AMPLIVS
QVI PRO LIBERATORE HOMINVM CHRISTO
NECEM SVBIIT GLORIOSISSIMAM

V.

ADSIS QVAESO
DIVE IANVARI
ET A CAELITVM SEDE
NEAPOLITANAE GENTI
FAVSTISSIMA QVAEQVE
A DEO OPT. MAX.
ADPRECARE
CERTVM TVORVM PRAESIDIVM VTI DECVS

Divo Ianuario Montanae curiae vertente sexennio supplicationes anni 1798.

Excell. Curiae Montanae IV viris
Fabio Sanfelicio Balneolorum duci
Petro De Transo marchioni
Alphonso Carminiano
Ex marchionibus Aquacvivae
Ioanni Antonio Muscettolae
Leporanorum principi
Ioseph Castaldius

Gratum, ac perhonorificum, excellentissimi viri, accidisse puto, quod inscriptiones in curia Montana proponendas conscribendi curam mihi potissimum demandaveritis. Nunc vero vestra jussa facturus, typisque editurus, nescio, an ulla mihi non poenitendi erroris excusatio relinquatur, si aliis potius, quam vobis inscribam. Vobis enim illas, qualescumque sint, tuentibus, nomen vestrum obtrectantium os obstruet, mihique, si quid rei magnitudini detractum sit, ignoscetur. Una ergo fidelia duos, ut ajunt, parietes dealbabo: dum vestra in me benevolentia succrescet, meae cuicumque scriptiunculae parabitur indulgentia. Neapoli an. CIƆIƆCCXCVIII.

VI.

DIVO IANVARIO CHRISTI MARTYRI
VRBIS REGNIQVE PATRONO PRAESENTISSIMO
PRO FERDINANDI IV. REGIS
TOTIVSQVE DOMVS AVGVSTAE
INCOLVMITATE PERENNI
CVRIAE MONTANAE
SVPPLICATIONES

VII.

TE
VRBIS REGNIQVE SOSPITATOREM
QVI TOTIES PESTILENTIAM FAMEM
BELLA AC VESVVII CLADEM
PROPITIVS AVERRVNCASTI
VT CIVITATEM ATQVE PROVINCIAS
SVB PROVIDENTISSIMO REGE
FIRMAS PACATASQVE DIV SERVES
CONCEPTIS VOTIS PRECAMVR

VIII.

SANCTO IANVARIO
BENEVENTANORVM ANTISTITI
CVIVS REDIVIVI SANGVINIS AVSPICIO
NEAPOLITANA CIVITAS INCOLVMIS STETIT
VT EANDEM PORRO TVEATVR
CIVIVMQVE CONSILIA
AVT PIA FOVEAT AVT IMPIA DISPERDAT
MONTANA CVRIA
CIVI OPTVMO AC PATRONO VIGILANTISSIMO
P. C.

IX.

DIVO IANVARIO
CIVI NEAPOLITANO BENEMERENTISSIMO
OB INNVMERA IN PATRIAM ET CIVES
CONLATA BENEFICIA
PHRATRIA MONTANA
DE PROSPERE TRANSACTO SEXENNIO GRATES
PRO SECVTVRO FELICITER
SACROS SOLLEMNESQVE LVDOS

X.

PROFANI PROCVL HINC ADESTE PII
DVM TE DIVE IANVARI ROGAMVS
VOTIS ANNVE TVOSQVE CIVES
PERPETVA SECVRITATE
FORTVNA

(XI) *Terlitii.*

TEMPLO VNI TRINOQVE DEO
A CAROLO CAESARIS F. DE PAV
E GENTE PATRITIA BVTVNTINA
OLIM DICATO
NVPER QVO VIAE MELFICTO TERLITIVM
ELEGANTIOR PATERET ADITVS
AD SOLVM AEQVATO
EQVES AGNELLVS DE PAV
TERLITIENSIS ECCLESIAE ARCHID. ET VICARIVS CAPIT.
CAROLVS EIVS FRATER
IVSTINA FRATRIS FILIA
AVITAE PIETATIS GLORIAEQVE STVDIOSISSIMI
NOVVM EX ADVERSO PECVNIA SVA ERIGENDVM
CVRAVERE AN. CIƆIƆCCCXVI

(XII) *Ibidem.*

SVPERNVM INSCRIPTVM LAPIDEM
EX DIRVTO TEMPLO PP. AVGVSTINIANORVM
EQVES AGNELLVS DE PAV
TERLITIENSIS ECCLESIAE ARCHID. ET VICARIVS CAPIT.
NE PESSVM IRET
BVTVNTO HVC TRANSFERENDVM CVRAVIT
ANNO CIƆIƆCCCXVI

(XIII) *Neapoli in aedicula B. Virginis Mariae vulgo dictae delle grazie.*

DEIPARAE VIRGINI OPIFERAE
SODALITAS
SVB EIVS NVMINE TVTELAQVE
AERE TOTIVS VICINIAE COLLECTICIO
AB INCHOATO EREXIT AN. CIƆIƆCCCXIX

DIVA PARENS SANCTE QVAE SOLVIMVS ACCIPE VOTA
ET SINT FAVSTA TVO CVNCTA PATROCINIO

(XIV) *In festo saeculari D. Andreae Abellinatis Neapoli celebrato an. 1808 tituli temporarii.*

DIVO ANDREAE ABELLINATI
IV ID. NOV. AN. CIƆIƆCCVIII
E VIVIS SVBLATO
NOVAM BEATISSIMAMQVE VITAM ADEPTO
CLERICI REGVLARES THEATINI
EX LIBERALITATE SODALIVM
SVB TITVLO DIVINI AMORIS
ANNVA OBITVS VERTENTE DIE
PATRONO PRAESENTISSIMO
SACRA SAECVLARIA

XV.

DIVO ANDREAE ABELLINATI
VT PRAESENTI NVMINE
CALAMITATES MORBOSQVE
PRAECIPVE APOPLEXIAM
A NOBIS PERPETVO AVERRVNCET
PVBLICA VOTA

XVI.

ADSIS QVAESO
DIVE ANDREA
ET A SVPERNA CAELITVM SEDE
NEAPOLITANAE CIVITATI
FAVSTISSIMA QVAEQVE
A DEO OPTIMO MAXIMO
ADPRECARE

(XVII) *Frequenti.*

TEMPLVM DEIPARAE IN CAELVM ASSVMPTAE
SACRVM
FRONTE ABNORMI AD LIBELLAM REDACTA
AEDIBVS HINC INDE SOLO AEQVATIS
VESTIBVLO LAXATO
CANONICI FREQVENTINAE ECCLESIAE
IN ELEGANTIOREM FORMAM RESTITVENDVM
CVRAVERE AN. CIƆIƆCCCXVII.

(XVIII) *Stabiis in festo S. Francisci Salesii.*

DIVO FRANCISCO SALESIO
APOSTOLICIS VIRTVTIBVS CLARISSIMO
CHRISTIANI NOMINIS PROPAGATORI
ORTHODOXAE FIDEI ADVERSVS HAERETICOS
PROPVGNATORI STRENVISSIMO
CLERICORVM ORDO STABIANAE ECCLESIAE
PATRONO PRAESENTISSIMO
VOTA NVNCVPAT

(XIX) *Ibidem.*

TEMPLVM
PIIS MANIBVS
AD EXPIATIONEM PECCATORVM
DICATVM
VENVSTATE CARENS VETVSTATE COLLABESCENS
AERE COLLATITIO ELEGANTIVS RESTITVTVM
DOMINICVS VENTAPANIS
EPISCOPVS THIENENSIS
SOLLEMNI RITV CONSECRAVIT
AN. CIƆIƆCCCXIII

(XX) *Ibidem pro sacris novendialibus defunctorum anni 1813.*

PRO DEFVNCTIS
IN CHRISTI FIDE
SACRA NOVENDIALIA
ACCOLA ADVENA QVISQVIS ADES
OMNES EODEM FATO PREMIMVR
EXPIATIONIBVS ADESTE
PRECES FVNDITE
PIA MVNVSCVLA
PRO ANIMARVM SVFFRAGIIS EROGATE

(XXI) *Neapoli in aede Deiparae Salutis.*

SACELLVM DIVO FRANCISCO DICATVM
CVM HYPOGAEO
ALOYSIVS PHILIPPI F. CALIFANVS
MORTALITATIS MEMOR
SIBI SVISQVE COMPARAVIT
ANNO CIↃIↃCCCXII

(XXII) *Puteolis.*

IOANNES BAPTISTA MANSVS VILLAE MARCHIO
BONO REIP. NATVS
MONTE DE SVO NOMINE INSTITVTO
AEDICVLAM SS. CRVCIFIXO
DIVOQVE GEORGIO MARTYRI SACRAM
P. S. EXCITAVIT
EIQVE SACERDOTIVM ADDIXIT FAMILIARE
DE MONTIS MODERATORVM SENTENTIA
PERPETVO CONFERENDVM
GHERARDVS LOFFREDVS MARCHIO S. AGATHAE
ANTONIVS ACQVIVIVIVS DE ARAGONIA
VINCENTIVS RAVASCHERIVS DVX ROCCAE
OCTAVIVS CARACCIOLVS CICINELLVS
CAROLVS ANT. DE ROSA MARCHIO VILLAEROSAE
MONTIS MODERATORES TANTI BENEFICII MEMORES
AEDICVLAM
TEMPORIS INIVRIA FATISCENTEM
RESTITVENDAM ORNANDAMQVE CVRAVERE
ANNO MDCCCXI

(XXIII) *Massae in templo S. Mariae.*

ARAM EX MARMORE
A TEMPLO ASCETERIORVM TRAPPENSIVM
HVC TRANSLATAM
CVRANTE CAMPREDONIO
BELLICIS TORMENTIS PRAEFECTO
IOSEPHVS CERVLLIVS
MASSAE LVBRENSIS PRAEPOSITVS I. D
TEMPLI CVRATOR
NE BENEFICII MEMORIA EXCIDERET
AERE SVO POSVIT AN. MDCCCVIII

(XXIV) *Neapoli in templo B. Virginis Mariae sanitatis.*

COMMVNE SEPVLCRVM
ARCHISODALITII SS. SACRAMENTI
IN HYPOGAEO
HVIVS TEMPLI DEIPARAE SANITATIS
SODALES
RESTITVERVNT AN. MDCCCXVIII

(XXV) *Ibidem in aede Deiparae Annunciatae.*

SACELLVM D. ANTONIO VIENNENSI DICATVM
CVM CONDITORIO ET ARA SVB HVIVS BASILICAE
HYPOGAEO
A SAECVLO VSQVE XIV IN GALEOTAE GENTIS IVRA
TRANSLATVM
IN QVO ANTE VETERIS EVERSIONEM TEMPLI
OSSA IACEBANT IOANNIS GALEOTAE NOBILIS
STRENVIQVE MILITIS
QVI OBIIT ANNO MCCCLXXXIII
VINCENTII GALEOTAE EPISCOPI RAPOLLANI
SCYLLACENSIS ET CAPVTAQVENSIS
QVI OPTIME DE SVA FAMILIA MERITVS PERIIT
AN. MDXXIV
BERNARDINI GALEOTAE REGI A CONSILIIS
ET ANDRIANAE LAZZAE VXORIS
AN. MDXL DEFVNCTORVM
ET ALOYSII GALEOTAE AC HIPPOLYTAE BVZZVTAE
CONIVGIS
QVI VITAE CESSERVNT AN. MDLXXII
ANTONIVS ET IOSEPHVS VINCENTII GALEOTAE FF
NE GENTILIA PIGNORA AC IVRA NEGLEXISSE
VIDERENTVR
MONVMENTVM POSVERE AN. MDCCCVIII

(XXVI) *Trani in aede Divi Dominici.*

GENTILITIVM FORGESII DAVANZATI SACELLVM
CVM HYPOGAEO
IOSEPH ANTONACCIVS
MORTALITATIS MEMOR
PROPRIO AERE SIBI SVISQVE COMPARATVM
IN ELEGANTIOREM FORMAM RESTITVIT
ANNO MDCCCXI

(XXVII) *Stabiis in templo cathedrali.*

SACELLVM D. MICHAELI SACRVM
OLIM DE IVRE PATRONATVS GENTIS SANSONIAE
CVM ARA QVOTIDIE ORNATA PRIVILEGIO
A GREGORIO XIII P. M. XII K. IAN. MDLXXX
PRIMVM CONCESSO
DEIN CONSTITVTIONE BENEDICTI XIII P. M
XII KAL. AVG. MDCCXXIV ADPROBATO
POSTEA THOMAE FALCOIAE EPISC. STABIANI
DECRETO PRID. NON. MAIAS MDCCXXXI RECOGNITO
DEMVM DIPLOMATE CONGREGATIONIS INDVLGENTIAR
POSTRID. ID. IVL. MDCCLX IN PERPETVVM FIRMATO
FERDINANDVS THOMAE F. LONGOBARDVS V. I. D
SIBI SVISQVE COMPARAVIT

(XXVIII) *Ibidem*

FERDINANDVS EX VETVSTA LONGOBARDORVM
GENTE V. I. D
ET RAPHAEL EIVS FIL. REGIS PROCVRATOR
IN THEATINA PROV.
APVD IV VIROS STLITIBVS IVDICANDIS
SACELLVM CVM HYPOGAEO
ELEGANTIVS INSTAVRARVNT
ANNO MDCCCXVI

(XXIX) *Prope oppidum vulgo nuncupatum* Bosco reale.

LATIFVNDIVM IVGERVM CLXVII
ET SACELLVM D. CANDIDAE SACRVM
DOMINICVS ET CAMILLVS PELLEGRINII VINCENTII FF
CVM SIBI COMPARASSENT
NE FVNDI AC VICINIAE COLONIS
RELIGIONIS SACRA DEESSENT
AEDICVLA RESTITVTA
ANNVVM CENSVM PRO MISSAE SACRIFICIO
FESTIS DIEBVS CELEBRANDO ADSIGNARVNT
ANNO MDCCCXVI

(XXX) *Neapoli in templo SS. Apostolorum.*

TEMPLVM D. O. M. AC SS. APOSTOLIS DICATVM
FRANCISCVS I. REX PIENTISSIMVS
VT SARTVM TECTVMQVE IN POSTERVM SERVARETVR
DIPLOMATE POSTRID. NON. IVN. AN. MDCCCXXVI DATO
SODALITIO S. MARIAE IN VERTICE CAELI ADSIGNAVIT
IIIVIRI CVRATORES
AD DIVINI CVLTVS SPLENDOREM EXORNARVNT

(XXXI) *Ibidem in aede S. Ioannis ad mare.*

AEDEM MARIAE VIRGINI PIETATIS ARTIFICVM REMORVM
DICATAM
SODALITIO S. BARBARAE PYROBOLARIORVM
MARITIMORVM
IN D. IOANNIS AD MARE TEMPLVM TRANSLATO
OLIM ADDICTAM
DEIN REGIAE CLASSIS DVCTORIBVS ADSIGNATAM
FRANCISCVS I. REX DIPLOMATE IV K. MART
AN. MDCCCXXVIII DATO
IPSI SODALITIO VNA CVM REDITIBVS
ET SACRA SVPELLECTILE
RESTITVI IVSSIT
INSTANTE COMITE FERDINANDO ANGVISSOLA
NAVARCHO PYROBOLARIIS MARITIMIS PRAEFECTO
SODALITATISQVE PRAEPOSITO

(XXXII) *Capursi.*

TEMPLVM D. O. M. DEIPARAEQVE
SVB TITVLO DE PVTEO SACRVM
SVPREMA CAROLI III. AVCTORITATE
ANNVENTE BENEDICTO XIV P. M
A FRATRIBVS ALCANTARINIS
AERE FIDELIVM COLLECTICIO
AN. MDCCXLVI ERECTVM
FERDINANDVS I. EXORNARI IVSSIT
FERDINANDVS II. PATER PATRIAE
CVM PEVCETIAM PERLVSTRARET
OPTATISSIMO ADVENTV SVO REDDIDIT AVGVSTIVS
VIII. ID. MAI AN. MDCCCXXXI .
ALCANTARINAE FAMILIAE FRATRES
NE TANTAE DIGNATIONIS MEMORIA INTERCIDERET
MON. PP

(XXXIII) *Aversae pro virgine sacra vota susceptura an. 1832.*

QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT
MARIA CARMELA PETRONA
FLORENTI AETATE
FLVXIS CADVCISQVE POSTHABITIS
SACRA VOTA SVSCIPIT
ABDITIS CLAVSTRI RECESSIBVS SELECTIS
AETERNAM SIBI LAVREAM COMPARATVRA
QVOTQVOT ADESTIS
PRVDENTISSIMAE PVELLAE PLAVDITE

(XXXIV) *Butunti.*

PAROECIALI HAC ECCLESIA SVB TVTELA D. PAVLI
ANNVO AMPLIORE CENSV AVCTA
REGIO DIPLOMATE
DATO PRID. K. NOV. AN. MDCCCXXXIV
INSTANTE V. I. D. IOANNE DEGNIO
NICOLAVS M. CVRCIVS PAROCHVS
AD ANNVVM SACRVM
PRO IOANNIS MANIBVS CELEBRANDVM
GRATI ANIMI ERGO
SE SVOSQVE SVCCESSORES OBSTRINXIT

(XXXV) *Cassani in Brutiis.*

CATHEDRALE TEMPLVM
DEO OPT. MAX. DEIPARAEQVE NATIVITATI
DICATVM
MICHAEL BOMBINIVS
PATRICIVS CONSENTINVS CONSENTINAEQVE
ACADEMIAE PERPETVO A SECRETIS
PRAESVL CASSANENSIS
NOVO EPISCOPALI SOLIO SELECTIS MARMORIBVS
EXSTRVCTO
SACRA ET SVMPTVOSA SVPELLECTILE DONATA
CETERISQVE ORNAMENTIS
AD MAIOREM SEDIS PRIMARIAE DIGNITATEM
COMPARATIS
AERE SVO RESTITVENDVM CVRAVIT
AN. MDCCCXXXIV

(XXXII) *Capursi.*

TEMPLVM D. O. M. DEIPARAEQVE
SVB TITVLO DE PVTEO SACRVM
SVPREMA CAROLI III. AVCTORITATE
ANNVENTE BENEDICTO XIV P. M
A FRATRIBVS ALCANTARINIS
AERE FIDELIVM COLLECTICIO
AN. MDCCXLVI ERECTVM
FERDINANDVS I. EXORNARI IVSSIT
FERDINANDVS II. PATER PATRIAE
CVM PEVCETIAM PERLVSTRARET
OPTATISSIMO ADVENTV SVO REDDIDIT AVGVSTIVS
VIII. ID. MAI AN. MDCCCXXXI .
ALCANTARINAE FAMILIAE FRATRES
NE TANTAE DIGNATIONIS MEMORIA INTERCIDERET
MON. PP

(XXXIII) *Aversae pro virgine sacra vota susceptura an. 1832.*

QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT
MARIA CARMELA PETRONA
FLORENTI AETATE
FLVXIS CADVCISQVE POSTHABITIS
SACRA VOTA SVSCIPIT
ABDITIS CLAVSTRI RECESSIBVS SELECTIS
AETERNAM SIBI LAVREAM COMPARATVRA
QVOTQVOT ADESTIS
PRVDENTISSIMAE PVELLAE PLAVDITE

(XXXIV) *Butunti.*

PAROECIALI HAC ECCLESIA SVB TVTELA D. PAVLI
ANNVO AMPLIORE CENSV AVCTA
REGIO DIPLOMATE
DATO PRID. K. NOV. AN. MDCCCXXXIV
INSTANTE V. I. D. IOANNE DEGNIO
NICOLAVS M. CVRCIVS PAROCHVS
AD ANNVVM SACRVM
PRO IOANNIS MANIBVS CELEBRANDVM
GRATI ANIMI ERGO
SE SVOSQVE SVCCESSORES OBSTRINXIT

(XXXV) *Cassani in Brutiis.*

CATHEDRALE TEMPLVM
DEO OPT. MAX. DEIPARAEQVE NATIVITATI
DICATVM
MICHAEL BOMBINIVS
PATRICIVS CONSENTINVS CONSENTINAEQVE
ACADEMIAE PERPETVO A SECRETIS
PRAESVL CASSANENSIS
NOVO EPISCOPALI SOLIO SELECTIS MARMORIBVS
EXSTRVCTO
SACRA ET SVMPTVOSA SVPELLECTILE DONATA
CETERISQVE ORNAMENTIS
AD MAIOREM SEDIS PRIMARIAE DIGNITATEM
COMPARATIS
AERE SVO RESTITVENDVM CVRAVIT
AN. MDCCCXXXIV

(XXXVI) *Neapoli in templo D. Francisci de Paula ponenda.*

TEMPLVM D. O. M. ET DIVO FRANCISCO DE PAVLA
SACRVM
AN. MDCCCVIII EVERSVM
FERDINANDVS I REX PIENTISSIMVS
EX VOTO AB INCHOATO FIERI IVSSIT
LAPIDE AVSPICALI AN. MDCCCXVI MANV SVA
SACRO RITV POSITO
FERDINANDVS II P. F. AVG
ELEGANTIA ET MAGNIFICENTIA QVANTA MAXIMA
ABSOLVIT
ET DIE NATIVITATIS DOMINI AN. MDCCCXXXVI
DEDICAVIT

(XXXVII) *Pro recuperata valetudine Francisci Cancellierii romani an. 1815.*

DEO OPTIMO MAXIMO
HVMANI GENERIS
RECTORI ET CONSERVATORI
QVOD
FRANCISCO CANCELLIERIO
E MORTIS FAVCIBVS EREPTO
ET IN PRISTINAM VALETVDINEM RESTITVTO
STRENVVM ECCLESIAE CATHOLICAE ADMINISTRVM
PAVPERIBVS PATREM
AMICIS PERFECTAE AMICITIAE EXEMPLAR
REI LITTERARVM PVBLICAE ORNAMENTVM
SERVAVERIT
EVCHARISTICON
FRANCISCO AEGROTANTE GEMIT FIT SOSPITE LAETVS
CIVIS AMICVS INOPS NOSCE VEL INDE VIRVM

SECVNDA CLASSIS

PVBLICORVM, PRIVATORVMQVE OPERVM

(I) *Pro dedicatione regiae neapolit. bibliothecae.*

FERDINANDVS IV
VTRIVSQVE SICILIAE ET HIERVSALEM REX
AD BONAS ARTES GENVS OMNE ALENDAS
FOVENDASQVE
AEDIFICIO MAGNIFICENTIVS APPARATO
BIBLIOTHECAM
SELECTISSIMIS OMNIVM SCIENTIARVM
CODICIBVS MANV SCRIPTIS AC LIBRIS EVVLGATIS
SVMMO STVDIO MAGNAQVE AVRI VI CONQVISITIS
DITISSIMAM
AD VRBIS ORNATVM
ET STVDIOSAE IVVENTVTIS COMMODVM
CONSILIO SALVBERRIMO DEDICAVIT
PRID. ID. IAN. AN. MDCCCIV
HANC FERNANDE DOMVM PHOEBO MVSISQVE SACRASTI
SINT PROCVL ARMA ARTES PAX COLAT ALMA BONAS

Regia Neapolitana Bibliotheca.

Musarum hoc templum, et sacros penetrare recessus
Cuique datur: limen, civis, et hospes adi.
Quae Latium docuit, quae Graecia, quae addidit illis
Sedula posteritas, colligit una domus.
Munere Fernandi fruere, et gratare, tibique
Quae magis arrident, selige gratus opes.

(II) *Pro via a Cassano ad Nivanum prope Neapolim.*

VIAM A CASSANO AD NIVANVM
PER MILLIA PASSVVM II
ANGVSTAM ANTEA DIFFICILEMQVE
ADFINES AGRORVM DOMINI
PECVNIA COLLATA AMPLIANDAM
ET GLAREA STERNENDAM CVRAVERE
ANNO FERDINANDI IV REGIS XLV

(III) *Cirignolae.*

FERDINANDO IV P. F. A
QVOD
PVELLARVM ORPHANOTROPHIO
PASCHALIS FVRNARI AERE
AN. MDCCXCIII EXCITATO
NOVAS IDONEASQVE MACHINAS
LANARIIS ARTIBVS PERFICIENDIS
AEDESQVE AD OPVS AMPLIORES
ADSIGNARI IVSSERIT
CIRIGNOLANI
TANTI BENEFICII MEMORES M. PP

(IV) *In nuptiis Francisci Borbonii juventutis principis cum Maria Clementina Austriaca anni 1797.*

QVOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVMQVE SIT
AVSPICATISSIMIS NVPTIIS
MARIAE CLEMENTINAE AVSTRIACAE
CVM FRANCISCO IVVENTVTIS PRINCIPE
FESTA POMPA LAETIS VOCIBVS
NEAPOLITANI PLAVDITE
ET PRO FOECVNDITATE PRINCIPVM
AC DIVTVRNITATE IMPERII
VOTA NVNCVPATE

V.

PVBLICIS LVDIS
FESTISQVE POMPIS CONFECTIS
MVSAE
QVAE SACRA AMANT SILENTIA
AVGVSTAS MARIAE CLEMENTINAE AVSTRIACAE
CVM FRANCISCO IVVENTVTIS PRINCIPE
NVPTIAS
NVNC PRIMVM CONCELEBRANT
GRATIQVE ANIMI OFFICIO
LAVDIBVS EXORNANT

VI.

FRANCISCO BORBONIO FERDINANDI IV REGIS F
IMMORTALIS CAROLI III NEPOTI
QVOD FELICISSIMIS
MARIAE CLEMENTINAE AB AVSTRIA NVPTIIS
SPEM FIRMAVERIT
PROLE SIMILLIMA PROCREATA
NEAPOLITANAM REM
PARES AVGVSTIS PARENTI ET AVO
CVSTODES PATRONOS VINDICES HABITVRAM
PRAECLARAE INDOLIS PRINCIPI
CIVIS HOSPES ADVENA
LAETA ET FAVSTA OMNIA ADPRECARE

VII.

FRANCISCVM BORBONIVM
AVIS ATAVISQVE REGIBVS EDITVM
AB AETATE PRIMA
AD IVSTI HONESTIQVE SCIENTIAM
ET CATHOLICAE RELIGIONIS DOGMATA
INSTITVTVM
MAIORVM SVORVM MORES REFERENTEM
REI LITTERARVM PVBLICAE BONO
SVPERI DIV SERVENT INCOLVMEM
PVBLICAEQVE CONSVLENTEM FELICITATI TVEANTVR

VIII.

MARIAE CLEMENTINAE
LEOPOLDI II IMPERATORIS CAESARIS
ET MARIAE ALOYSIAE AVGVSTAE F
INGENIO BENEFICENTIA AC RELIGIONE INCOMPARABILI
FRANCISCI BORBONII CONIVGI
VTRVMQVE REGNVM GRATVLATVR
QVOD SVMMO D. O. M. BENEFICIO
TANTO VIRTVTVM CVMVLO
EXORNATA PRINCEPS SIBI OBTIGERIT

IX.

MARIAE CLEMENTINAE AB AVSTRIA
FRANCISCO BORBONIO NVPTAE
VRBEM FAVSTISSIMIS AVSPICIIS INGREDIENTI
MOX LAETA FOECVNDITATE REGES REGINASQVE
ORBI TERRARVM COMMODATVRAE
O. P. Q. N.
OBVIAM EFFVSVS
FORTVNATVM ADVENTVM LAETAQVE OMNIA
OMINANTVR

(X) *Stabiis.*

FERDINANDVS IV VTRIVSQVE SICILIAE REX
IACTIS IN ALTVM MOLIBVS
FVNDAMENTIS SVPERIMPOSITIS
QVA INACCESSI OLIM SCOPVLI SORDESQVE
AMOENISSIMVM LITVS FOEDABANT
VIAM SILICIBVS STRATAM TVTAM FACILEMQVE
INCOLIS CONVENISQVE PRAESTITIT
GABRIEL LONGOBARDVS PATRICIVS STABIANVS
OPTIMI PRINCIPIS PROVIDENTIAE OBSECVTVS
AVITAS AEDES AD VRBIS ORNATVM
ELEGANTIVS AMPLIAVIT AN. MDCCCIII
QVAE VIA NVNC MANNIS TERITVR LAPSVQVE ROTARVM
PERSONAT INGRATVM LITVS ET VNDA FVIT

(XI) *Neapoli in regio horto botanico ponenda.*

FERDINANDVS IV REX P. F. A
HORTVM AN. MDCCCVIII INCHOATVM
LATIORIBVS DEINDE SPATIIS ET CONTERMINO AGRO
ADIVNCTIS
CONFRAGOSA HVMO PASSIM COMPLANATA
PLANTIS INDIGENIS EXTERISQVE VNDIQVE
CONQVISITIS
AMPLISSIMO CENSV DITATVM
OMNIQVE CVLTV AC ELEGANTIA EXORNATVM
NEAPOLITANORVM VTILITATI ATQVE OBLECTAMENTO
ADDIXIT
AN. MDCCCXVI

(XII) *Ibidem in S. Francisci Salesii valetudinario.*

FERDINANDVS IV VTRIVSQVE SIC. REX
VT QVI R. PAVPERVM HOSPITIO ALVNTVR
SI MORBIS LOBORENT
CITIVS COMMODIVSQVE CONVALESCANT
COGNITA LOCI AMOENITATE CAELIQVE INDVLGENTIA
NOSOCOMIVM EXTRA POMERIVM
HIC FIERI IVSSIT AN. MDCCCXV

(XIII) *Neapoli ponenda.*

FERDINANDO IV REGE P. F. AVG
AEDES
NEGOTIATORVM LITIBVS IVDICANDIS
HABENDISQVE CONVENTIBVS
DESTINATAS
MERCATORVM COETVS
RESTITVENDAS CVRAVIT AN. MDCCCXV

(XIV) *Pro Nicolao Parisio inter XXIVviros S. R. C. an. 1804 cooptato.*

FERDINANDO IV VTRIVSQVE SIC. REGI
QVOD
NICOLAO PARISIO
FIDE ABSTINENTIA DOCTRINA DEXTERITATE
CONSTANTIA CETERISQVE ANIMI DOTIBVS
SPECTATISSIMO
EX VIVIRIS M. CVRIAE STLITIBVS IVDICANDIS
INTER XXIVVIROS S. R. CONSILII ADSCITO
COMMVNIBVS VOTIS ANNVERIT
NEAPOLITANI FORI
GRATI ATQVE OBSEQVENTIS ANIMI SIGNIFICATIONES

(XV) *Sancti Severi in Daunia.*

FERDINANDO IV P. F. A
QVOD
MEDICINAE LYCEVM
DAVNIAE IVVENTVTI EXCOLENDAE
ET NATVRAE STVDIO PROPAGANDO
DESTINATVM
HIC COGNITA VRBIS OPPORTVNITATE
CONSTITVENDVM SANXERIT
SANSEVERIANI
BENEFICII MEMORES M. PP
AN. MDCCCXV

(XVI) *Aversae.*

FERDINANDO IV
NEAP. SIC. ET HIEROSOLYMOR. REGI
SVPER OMNES RETRO PRINCIPES
FELICISSIMO
QVOD
S. LAVRENTII AVERSANVM COENOBIVM
MERIDIATVM ADIERIT
PRIDIE ID. SEXT. AN. MDCCCIV
SVIQVE ORIS SERENITATE
QVOT FREQVENTES ADERANT BEAVERIT
VINCENTIVS ROGADEVS ABBAS
LAPIDEM TANTAE DIGNATIONIS INDICEM
PONENDVM CVRAVIT

(XVII) *Ibidem.*

NOSOCOMIVM PRO AMENTIBVS FVRENTIBVSQVE
AN. MDCCCX INCHOATVM
COGNITA LOCI NATVRA CAELIQVE TEMPERIE
HVMANIORE VIVENDI RATIONE STABILITA
OPPORTVNIS AEDIBVS AMPLOQVE CENSV ASSIGNATIS
FERDINANDVS IV REX PROVIDENTISSIMVS
ABSOLVIT AN. MDCCCXV

(XVIII) *Interamnae.*

FERDINANDVS I REX
VT AL VRBE THEATE AD RHEGIVM VSQVE IVLIVM
TRANSITVS FACILIOR ESSET BREVIORQVE
VIAM LONGITVDINE PEDVM TRIVM MILLIVM
IAMDIV OPTATAM
APERIRI GLAREAQVE STERNI IVSSIT
ANNO MDCCCXVII

(XIX) *Neapoli in caecorum hospitio ponenda.*

FERDINANDVS I. P. F. A
CAPTIS LVMINE
ALENDIS INSTITVENDISQVE
HOSPITIVM
OPPORTVNIS AEDIBVS
OPPORTVNOQVE CENSV LOCVPLETATVM
DESTINAVIT AN. MDCCCXVIII

(XX) *Pro Friderico II. imp. utr. Sic. rege.*

FRIDERICO II IMP.
VTRIVSQVE SICILIAE REGI P. F. AVG
INGENIO AC RERVM GESTARVM MAGNITVDINE
VIRO IMMORTALI
QVOD
IVVENTVTI ERVDIENDAE
ARCHIGYMNASIVM NEAPOLITANVM
NOVIS SAPIENTISSIMISQVE LEGIBVS CONDIDERIT
GYMNASIARCHA ET PROFESSORES
GRATI ANIMI MONVMENTVM PP

(XXI) *Neapoli pro regio pauperum hospitio.*

PVPILLIS PARENTVM MORTE VEL INFORTVNIO
DERELICTIS
ARTIBVS MORIBVSQVE INSTITVENDIS
PAVPERIBVS ALENDIS

(XXII) *Ibidem in meretricum nosocomio ponenda an. 1808.*

MERETRICIBVS APHRODISIACO MORBO CVRANDIS
NOSOCOMIVM EXTRA POMERIVM

(XXIII) *Trani in hortulo PP. Theresianorum.*

FOVENDAE AMICITIAE
DELECTA OTIA
CVRAE ET IVRGIA
PROCVL ESTO

(XXIV) *Pro Ioanne Andresio.*

IOANNI ANDRESIO
NEAPOLIT. ACADEMIAE HISTORIAE ET ANTIQVITATVM
A SECRETIS
REGIAEQVE BIBLIOTHECAE PRAEFECTO
QVOD
OMNIGENAE DOCTRINAE
INGENVITATE AC SANCTITATE
ADIVNCTA
OMNIVM ORDINVM
AMOREM ATQVE ADMIRATIONEM
SIBI CONCILIAVERIT
IOSEPHVS CASTALDIVS
VIRO DOCTISSIMO DEQVE LITTERIS
OPTIME MERITO

(XXV) *Pro Clothilde Tambronia.*

NOVVM ITALIAE DECVS
CLOTHILDEM TAMBRONIAM
INGENIO ET ERVDITIONE SVPRA SEXVM
PRAEDITAM
ITALICA LATINA ET GRAECA POESI
PRAESTANTISSIMAM
IN CELEBERRIMO BONONIENSI GYMNASIO
GRAECAS LITTERAS PVBLICE DOCENTEM
OB REM LITTERARVM PVBLICAM
SVMMOPERE ILLVSTRATAM
PALLAS IPSA SALVTAT

(XXVI) *Boviani.*

NICOLAO ROSSETTIO
ECCLESIAE BOVIANENSIS
PRIMVM VICARIO APOST. DEIN EPISCOPO
QVOD
TEMPLVM D. BARTHOLOMAEI SEMINARIVM CLERICORVM
AC EPISCOPIVM
TEMPORVM INIVRIA IAM COLLABENTIA
PAENE AB INCHOATO EXTRVXERIT
EADEMQVE VIII K. SEXTIL. AN. MDCCCV
TERRAE CONCVSSIONE SOLO AEQVATA
RVRSVS EREXERIT ORNARITQVE
CAMPANARIAM VERO TVRRIM
QVAE VNA OPERI ABSOLVENDO DEERAT
NEAPOLI VIII K. FEBR. AN. MDCCCXIX
SVI PONTIFICATVS XLV IAM MORITVRVS
SVO AERE PONENDAM MANDAVERIT ADEO ENIXE
VT IOSEPHVS ROSSETTIVS FR. FIL. EQVES HIEROSOLYM
ET PECVNIAM IN SVBSIDIVM OPERIS FACIVNDI
CONTVLERIT
ET BASILICAM
EPISCOPALI DONAVERIT SVPELLECTILE
DIGNITATES ET CANONICI
LAPIDEM BENEFICIORVM TESTEM PP
AN. MDCCCXIX

(XXVII) *Ariani.*

AD AVGENDVM PRINCIPIS TEMPLI DECOREM
SCALAS ANTEA DIFFICILES
DOMINICVS RVSSVS EPISC. ARIANEN.
AN. MDCCCXXII PONTIFICATVS SVI IV
FACILES ELEGANTESQVE REDDIDIT
CANONICORVM ORDO M. P

(XXVIII) *In colle Vomeris prope Neapolim.*

VT OFFICIO SINE MOLESTIIS VACARET
CAELIQVE HAVSTV LIBERIORE FRVERETVR
VILLAM SVBVRBANAM
IN VOMERIS VERTICE CRATERI IMMINENTEM
ALOYSIVS RVFFVS
S. R. E. CARD. ARCHIEP. NEAPOLIT
SIBI COMPARAVIT AN. MDCCCXXIII

(XXIX) *Ponenda Afragolae.*

IOSEPHVS NICOLAI F. CASTALDIVS
AVITAS AEDES
TEMPORVM INIVRIA PAENE COLLAPSAS
TECTO SVPERIMPOSITO
RESTITVENDAS CVRAVIT AN. MDCCCV·
VT MORBIS TRICISQVE FORI MENS AEGRA QVIESCAT
ET RECOLAM MVSAS PRAESTAT AVITA DOMVS

(XXX) *Cosyrae.*

CAROLO GLEYESSESIO HELVETIO
IN EXERCITV NEAPOLIT. CENTVRIONI MAXIMO
COSYRAE PRAEFECTO
QVOD AN. MDCCCXX
VIAM A LITTORE AD S. CHRISTI CRVCEM
PER PASSVS MILLE INACESSAM ANTEA DIFFICILEMQVE
EXCISO MONTE IACTIS MOLIBVS AEQVATA VALLE
AD INSVLAE ORNATVM
CIVIVMQVE VTILITATEM TVTAM RIDENTEMQVE
REDDIDERIT
EO POTISSIMVM CONSILIO
VT COMMODIVS IN HEBDOMADA MAIORE
AD CELEBRANDA SACRA PASSIONIS MYSTERIA
A POPVLO SVPPLICATIO FIERET MORE MAIORVM
COSYRANI TANTI BENEFICII MEMORIAM
TITVLO PERENNANDAM DECREVERVNT

(XXXI) *Neapoli in coenobio S. Severini.*

SERENISSIMAE MARIAE CHRISTINAE
FRANCISCI I VTRIVSQVE SIC. REGIS F
ET FERDINANDO VII HISPANIARVM REGI SPONSAE
QVOD
IX K. OCTOBR. AN. MDCCCXXIX
PERVETVSTVM S. SEVERINI COENOBIVM
HINC ABITVRA INVISERIT
SVIQVE ORIS MAIESTATE
QVOT FREQVENTES ADERANT EXHILAVERIT
CASINENSIS FAMILIA
PRO TANTA DIGNATIONE M. P

(XXXII) *Ibidem in aedicula S. Mariae muscarum nuncupata extra pomerium.*

VETVS SACELLVM GENTILITIVM
VARIIS PRIVILEGIIS INSIGNE
DEIPARAE CONSTANTINOPOLITANAE SACRVM
VBI CINERES DYNASTARVM EQVITVM
ALIORVMQVE ILLVSTRIVM VIRORVM
AVGVSTISS. SOCIETATIS SVB TITVLO S. CRVCIS
QVIESCVNT
REGE FERDINANDO II ARAGONENSI
MAXIMA TEMPORVM CALAMITATE DEPERDITVM
PHILIPPVS IVDEX CARACCIOLVS
S. R. E. CARD. ARCHIEP. NEAPOLIT
SOCIETATI IN ANTIQVVM IVS PATRONATVS
ET PRIVILEGIA REVOCATAE
RESTITVIT
FERDINANDO II BORBONIO REGNANTE

(XXXIII) *Ibidem pro restitutione templi S. Caroli paene ab inchoato.*

D. O. M.
ET DIVO CAROLO BORROMAEO
CHOLERAE MORBO LIBERATI
AERE COLLATO
EX VOTO PVBLICO ANNI MDCCCXXXVII

(XXXIV) *In villa suburbana marchionis Philippi Petronii.*

VETERIS HVIVS AEDIFICII
EFFOSSIO INCHOATA
AN. MDCCCXXXII

(XXXV) *In via Abellinum inter et Nuceriam.*

FERDINANDVS II REX PROVIDENTISSIMVS
VT COMMERCII COMMODA PROTENDERET
HIRPINOS INTER APPVLOS LVCANOS BRVTIOSQVE
INTERCEDENTE AEQVATO COLLE
VIAM APERVIT DIV DESIDERATAM
QVA LITVS MEDITERRANEVM HADRIATICO ADMOVIT
HIRPINI BENEFICII MEMORIAM
TITVLO PERENNANDAM CENSVERVNT
AN. MDCCCXXXIX
EQVITE DOMINICO ANTONIO PATRONO
PROVINCIAE PRAEFECTO

(XXXVI) *In archicoenobio Montis Casinatis.*

DONINICO CORIGLIANO
EX MARCHIONIBVS RIGNANI EQVITI HIEROSOLYM
MORVM INGENVITATE ET ELEGANTIA
STVDIO IN AMICITIA FOVENDA
CVM PAVCIS COMPARANDO
QVI
LITTERARVM ARTIVMQVE PERITISSIMVS
QVAE MVSICORVM MODORVM EXARAVIT OPERA
NE PESSVM IRENT
ARCHICOENOBIO MONTIS CASINATIS
LEGAVIT
ARCHICOENOBII ABBAS SODALESQVE
LAPIDEM BENEFICII TESTEM PP. AN. MDCCCXXXIX

(XXXVII) *Ibidem*.

GREGORIO TRESCAE
DVM AVERSANVM S. LAVRENTII CONSTITIT
COENOBIVM
CASINENSIS ORDINIS SODALI
IN R. GYMNASIO NEAP. HISTORIAE PHILOSOPHICAE
PROFESSORI
MORVM SANCTITATE CLARISSIMO
QVI
SCIENTIARVM ARTIVMQVE CVLTOR EXIMIVS
QVAE TESTACEA MINERALIA ET MVSICA OPERA
INGENTI PECVNIA COLLEGERAT
IN ARCHICOENOBIO MONTIS CASINATIS SERVARI IVSSIT
HVIVS FAMILIAE ABBAS ET MONACHI
GRATI ANIMI MEMORIAM TITVLO PERENNANDAM
CVRAVERE
AN. MDCCCXXXIX

(XXXVIII) *Neapoli ponenda an. 1808.*

VETVSTISSIMVM
P. VIRGILII MARONIS SEPVLCRVM
SITV ET SQVALORE OBSITVM
VT NEAPOLITANIS IPSIS NEDVM ADVENIS
VIX INNOTESCERET
IOSEPHVS CAPYCIVS LATRVS
AB INTERIORIBVS REGNI NEGOTIIS
OPVS REFECTVM MVNITVMQVE
VETERI RESTITVTO TITVLO
POSTERITATI SARTVM TECTVM ADSERVIT
AN. MDCCCVIII

FVNEBRES

(I) *In funere Neapoli celebrato in aede Deiparae Caesareae.*

PIO VII PONTIFICI VERE MAXIMO
QVI
IN COENOBIO ROMANO DIVI PAVLI
LIBERALITER INSTITVTVS
PHILOSOPHIAM AC THEOLOGIAM
TAM DISERTE IVVENTVTI BENEDICTINAE
PARMAE ET ROMAE TRADIDIT
VT PRAESTANTIORIBVS FACILE SVPERATIS
PLVRIMISQVE MVNERIBVS IN CASINENSI ORDINE
NITIDE OBITIS
TIBVRTINAM PRIMVM DEIN FOROCORNELIENSEM
ECCLESIAM REXERIT
AC INTER S. R. E. CARDINALES COOPTATVS
PRIDIE ID. MART. AN. MDCCC VENETIIS
PONTIFICATVM MAXIMVM VLTRO DELATVM
SVSCEPERIT
TANTAM HIC IN SVMMA TEMPORVM DIFFICVLTATE
PRVDENTIAM CONSTANTIAM ANIMIQVE
FORTITVDINEM
IN VINDICANDIS TVENDISQVE
APOSTOLICAE SEDIS IVRIBVS AC DITIONE
PRAESETVLIT
VT DIFFICILEM POSTERIS AEMVLATIONEM RELIQVERIT
VIXIT ANN. LXXXI DIES VI
SEDIT ANN. XXIII MENS. V D. VI
RELIQVIT DESIDERIVM SVI
XIII K. SEPT. AN. MDCCCXXIII

(II) *Ibidem pro funere in templo nosocomii Insanabilium habito.*

FERDINANDO I BORBONIO
REGNI VTRIVSQVE SICILIAE REGI
INSANABILIVM NOSOCOMII IIIVIRI CVRATORES
IVSTA PERSOLVVNT

III.

FERDINANDO I
CAROLI III PRIMVM VTRIVSQVE SICILIAE
DEIN HISPANIAR. NOVIQVE ORBIS REGIS FILIO
QVI
PARENTIS SAPIENTISS. VESTIGIIS INSISTENS
RELIGIONEM IVSTITIAM BENEFICENTIAM
AMOREMQVE IN POPVLOS
TANTO STVDIO PROSEQVVTVS EST
VT INGENS SVI DESIDERIVM
PRAESENTIBVS POSTERISQVE RELIQVERIT
VIXIT ANN. LXXIII M. XI D. XXIII
REGNAVIT ANNOS LXV
DECESSIT PRID. NON. IAN. AN. MDCCCXXV

IV.

FERDINANDVS REX
ADOLESCENS IMPERIO MATVRVS INIIT PRINCIPATVM
VTRIVSQVE SICILIAE POPVLOS REXIT ANNOS LXV
INSTITVTIS ACADEMIIS LYCEISQVE
MORES LITTERIS COMPOSVIT
NAVIGATIONIS COMMERCIIQVE COMMODA
ARTIVM OMNIGENARVM STVDIA CVLTVMQVE
PRAEMIIS STIMVLISQVE FOVIT IMPENSISSIME

V.

FERDINANDVS I.
ORBE PACATO
REGNI STATVM ORDINAVIT
FOEDERA ET PACTIONES AEQVISSIMAS
CVM OMNIBVS FERE EVROPAE PRINCIPIBVS
SVORVM POPVLORVM BONO INIVIT
LEGES CIVILES POENALES ORDINISQVE
IN IVDICIIS SERVANDI
IN VNVM REDACTAS ET AD AEQVITATIS RATIONEM
EMENDATAS
VETERI ABROGATA IVDICIORVM CAPITALIVM
INCLEMENTIA
PROVIDENTISSIME SANXIT

VI.

FERDINANDVS REX
DIFFICILLIMIS SANE TEMPORIBVS
PLVRIES A POTENTISSIMIS POPVLIS
BELLO PROPE INERMIS TENTATVS
DITIONEM PATERNAM SERVAVIT
ORDINEMQVE EQVESTREM S. GEORGII
AD REMVNERANDAM DVCVM VIRTVTEM
MVNIFICENTISSIME INSTITVIT
MILITVM CONTVBERNIIS EXTRVCTIS
PARTIM REFECTIS
DISCIPLINAM CONSILIO SALVBERRIMO INSTAVRAVIT

(VII) *Ibidem in funere pro eodem rege celebrato in aede Purgatorii ad Arcum.*

PRO QVIETE SEMPITERNA
REGIS FERDINANDI I BORBONII
EX CONSVLTO
HVIVS TEMPLI CVRATORVM

VIII.

FERDINANDVS I
CAROLI III R. CATHOLICI VTR. SIC. REGNI
INSTAVRATORIS F.
PATERNAS VIRTVTES AEMVLATVS
SVMMA PRVDENTIA IVSTITIA BENEFICENTIA
POPVLOS REXIT
ET LITTERIS ARTIBVS MORIBVSQVE EXCOLVIT
OMNES VERO FORTVNAE INIQVITATE LABORANTES
QVOTIDIE LARGITIONIBVS MVNIFICENTISSIMIS
SVBLEVAVIT
VIXIT ANN. LXXIII M. XI D. XXIII
DESIDERATVS EST PRID. NON. IAN. AN. MDCCCXXV

IX.

FERDINANDVS REX PROVIDENTISS
DITIONE PATERNA ITERVM RECVPERATA
PVBLICISQVE REBVS ORDINATIS
AD SVORVM POPVLORVM VTILITATEM
FOEDERA INIIT CVM PLVRIBVS EVROPAE PRINCIPIBVS
LEGES CIVILES ET POENALES IN VNVM REDIGI
ET AD RECTI NORMAM EMENDARI IVSSIT
TEMPLVM D. FRANCISCI DE PAVLA EVERSVM
ERIGI MANDAVIT
ET THEATRVM MAXIMVM FLAMMIS CONSVMPTVM
RESTITVIT
AEDIFICIA COMPLVRA VEL DOMVS AVGVSTAE
VEL CIVIVM COMMODO INSERVITVRA
AVT ABSOLVIT AVT AB INCHOATO EXSTRVXIT
VIAS PRAERVPTAS INVIASQVE REFECIT
NOVASQVE VT PROVINCIARVM CVRSVS AD VRBEM
TVTIOR BREVIORQVE FIERET
INSTITVIT PERFECITQVE

X.

MORTALES
OMNES EODEM COGIMVR
MORS AEQVO PVLSAT PEDE PAVPERVM TABERNAS
REGVMQVE TVRRES
EN FERDINANDVS I
INOPINA MORTE ALIENISSIMO TEMPORE FATIS CESSIT
VTRIVSQVE SICILIAE POPVLI
BENEFICIORVM MEMORES
FRVSTRA LACRYMIS VOTISQVE TVMVLO
EXCITARE SATAGVNT

XI.

FERDINANDE REX
INTER BEATOS COOPTATE
VTI SPERAMVS
D. O. M. ENIXE ROGA
VT FRANCISCVM FILIVM
REGNI VIRTVTISQVE HEREDEM
TOTAMQVE AVGVSTAM DOMVM
POPVLORVM BONO
DIV SERVET FORTVNETQVE

(XII) *Ibidem pro funere in paroccia collis Arenulani.*

LEONI XII P. M.
SVPREMA FVNERIS OFFICIA

XIII.

HANNIBAL GENGHAE
ADOLESCENS ROMAM SE CONTVLIT
PLVRA IBI MVNERA EGREGIE FVNCTVS
A PIO VI PIOQVE VII PP. MM
APVD VARIOS EVROPAE PRINCIPES GRAVISS. DE REBVS
IN MAXIMA TEMPORVM PERTVRBATIONE LEGATVS
PRIMVM IN PVRPVRATORVM COLLEGIVM A PIO VII
ADLECTVS
ET SENOGALLIENSIS PRAESVL RENVNCIATVR
MOX IN VRBEM REDVX
VICARIA EIVSDEM PONTIFICIS POTESTATE AVCTVS
DEMVM IV K. OCT. AN. MDCCCXXIII
CATHOLICO PLAVDENTE ORBE
PONTIFICATVM MAXIMVM INIIT
TVLIT AETATIS SVAE ANN. LXVIII M. VI D. VIII
SEDIT ANNOS V MENS. IV DIES XII
DECESSIT IV ID. FEB. AN. MDCCCXXIX

XIV.

LEO XII. P. M.
REBVS EVROPAE PVBLICIS NVPERRIME PACATIS
ANNO PIACVLARI
AD DISSIDENTES ADHVC CHRISTIANORVM ANIMOS
PRORSVS COMPONENDOS
POPVLORVMQVE FELICITATEM COMPARANDAM
INDICTO
SACERDOTIBVS DOCTRINA PRAESTANTIORIBVS
AD PROPAGANDAM RELIGIONEM IN REGIONES
INFIDELIVM MISSIS
CELEBERRIMO D. PAVLI TEMPLO
FLAMMIS CONSVMPTO INCREDIBILI CELERITATE
RESTITVTO
BASILICA LIBERIANA MAGNIFICO BAPTISTERIO
EXORNATA
VIA OSTIENSI REFECTA ET REPARATO TIBVRE
ANIENIS IMPETV LABEFACTATO
MONIALIVM ORDINE EVCHARISTIAE SACRAMENTVM
DIV NOCTVQVE ADORANTIVM DITATO MVLTIPLICATOQ.
CHRISTIANIS CATHOLICIS GRAECI RITVS
DIVTVRNO BELLO
AD PAVPERTATEM REDACTIS PATERNA CVRA
SVBLEVATIS
AETERNVM SVI DESIDERIVM RELIQVIT

XV.

SATIS LATE OPTIMI PONTIFICIS PATVIT
IN AEGROS EGENOSQVE BENEFICENTIA
QVI NON SEMEL VRBIS NOSOCOMIA CARCERES
ET PAVPERVM HOSPITIA PRAESENTIA SVA BEANDO
VICTVM VESTITVM
ALIAQVE NECESSARIA VITAE COMMODA
BENIGNE PROLIXEQVE PRAEBVIT

XVI.

A PONTIFICE PVBLICAE FELICITATIS STVDIOSISS
SALVBERRIMIS LEGIBVS SANCITIS
SVBLEVATO CIVIVM ONERE
AMPLIFICATO COMMERCIO
IVDICIORVM CONTRACTA MORA
LICENTIA VBIQVE COERCITA
POPVLORVM VTILITATI PROSPECTVM EST

XVII.

LEO XII
BEATISSIMA ECCLESIAE SAECVLA REFERENS
QVVM INTELLIGERET QVANTVM ORNAMENTI
VRBI CATHOLICI ORBIS PRINCIPI
SCIENTIAE ARTESQVE ATTVLERINT
EAS PAENE FVGITIVAS
TANTO SPLENDORE AC DIGNITATE
IN PATRIAM REVOCAVIT
VT EXTERI FACILE INVIDERENT
LITTERARVM ARTIVMQVE STVDIIS PRAEMIIS
STIMVLISQVE AVCTIS
COLLEGIIS PHILOSOPHICO PHILOLOGICO AC NOBILI
IVVENTVTI ERVDIENDAE INSTITVTIS
DOCTIS VIRIS STVDIORVM REGIMINI PRAEFECTIS
VRBIS MVSEIS
BIBLIOTHECAQVE VATICANA NOVIS CIMELIIS
LOCVPLETATIS
MONVMENTO MAGNIFICENTISSIMO
TORQVATO TASSO ROMAE ERECTO
AETERNVM SIBI NOMEN ARROGAVIT

(XVIII) *Ibidem in funere archisodalitii S. Iosephi tituli temporarii.*

FRANCISCO I
REGNI VTRIVSQVE SIC. REGI
PARENTALIA

XIX.

FRANCISCVS BORBONIVS FERDINANDI I REGIS F
SECVNDIS REBVS SAPIENTER VSVS
ADVERSIS VIRILITER
REGNI PERTVRBATIONIBVS
SINGVLARI PRVDENTIA COMPOSITIS
OMNIVM ADMIRATIONEM EXCITAVIT
VIXIT ANN. LIII M. II. D. XX
REGNAVIT ANN. V. M. X D. III
DIEM OBIIT SVPREMVM VI ID. NOV. AN. MDCCCXXX

XX.

RELIGIONEM CATHOLICAM
QVAM IMPENSE COLEBAT
EXEMPLO POTIVS TVERI QVAM LEGIBVS
DIVINIQVE CVLTVS SPLENDOREM AVGERE
FRANCISCVS REX PIENTISSIMVS
SVMMOPERE STVDVIT

XXI.

FRANCISCVS I
OPTIMO SANE CONSILIO
SCIENTIARVM ARTIVMQVE STVDIA
PRAEMIIS STIMVLISQVE FOVIT IMPENSISSIME
MAIORVMQVE GLORIAM SVPERGRESSVS
ORDINEM EQVESTREM DE SVO NOMINE INSTITVIT
AD REMVNERANDAM ILLORVM VIRTVTEM
QVI
VEL IN OBEVNDIS MVNERIBVS VEL IN SCIENTIIS
ARTIBVSQVE PROMOVENDIS INCLARVERANT

XXII.

FRANCISCE REX OPTIME
QVONIAM
TVA TE PIETAS CAELI COETIBVS INSERVIT
DEVM OPT. MAX. EXORA
VT FERDINANDVM FILIVM REGNI HEREDEM
FAVSTE FELICITERQVE AD EXTREMAM SENECTAM
VNA CVM DOMO AVGVSTA
PROPITIVS VOLENS PROTEGAT AC FORTVNET

(XXIII) *Ibidem in funere celebrato pro eodem rege in sodalitio SS. Rosarii.*

FRANCISCO I VTRIVSQVE SIC. REGI
IVSTA SOLVVNTVR

XXIV.

FRANCISCVS I REX
PERSVASVS
SE IN ALTISSIMO POTESTATIS GRADV COLLOCATVM
NON AD OTIVM FRVENDVM
SED AD GRAVIOREM CVRARVM MOLEM SVSTINENDAM
NVLLAM FERME REGNI SVI DIEM
QVAMVIS ADVERSA VALETVDINE CONFLICTATVS
ABIRE PASSVS EST
QVIN IN ID TOTO PECTORE INCVMBERET
VNDE PVBLICA RES
VBERIOR LAETIORQVE EFFLORESCERET
VIXIT ANN. LIII M. II D. XX
REGNAVIT ANN. V M. X D. III
INDOMITA MORBI PERTINACIA SVBLATVS VI ID. NOV.
AN. MDCCCXXX

XXV.

IMPERIA
NON HOMINVM CONSILIO SED DEI NVMINE
STARE AC FLORERE
CERTISSIMVS FRANCISCVS I
STATIM AC REGNVM EST AVSPICATVS
CHRISTIANAM RELIGIONEM
NON EDICTIS SED SVO DOMVSQVE AVGVSTAE
EXEMPLO
TVENDAM AMPLIFICANDAMQVE CVRAVIT

XXVI.

CLARISSIME EMICVIT
FRANCISCI REGIS
IN LITTERARVM ARTIVMQVE CVLTORES
PATROCINIVM
ORDINE EQVESTRI
PRO REMVNERANDIS
IN SCIENTIIS ARTIBVSQVE
PRAESTANTIORIBVS INSTITVTO

(XXVII) *In funere Compsae celebrato.*

MARIAE CHRISTINAE A SABAVDIA
VTRIVSQVE SICILIAE REGINAE
IVSTA SOLVVNTVR
OMNIVM VOTA DEBENTVR ILLI
QVAE NVLLIVS VOTO DEFVIT

XXVIII.

MARIA CHRISTINA
VICTORII EMMANVELIS SARDINIAE REGIS F
RARISSIMO VIRTVTVM CONSORTIO ORNATA
FERDINANDO II VTR. SIC. REGI NVPTA
INFANTEM IMPERII HEREDEM PVBLICIS VOTIS
EXOPTATVM VIX ENIXA
DECIMAQVINTA POST DIE IN IPSO AETATIS FLORE
TOTIVS REGNI MOERORE SVBLATA EST
HEV SPES MORTALIVM FALLACES FALLACIA GAVDIA
EN QVAM CITO POPVLORVM LAETITIA
VERSA EST IN LVCTVM
VIXIT ANN. XXIII MENS. II DIES XVII
DEFLETA EST VLTRA QVAM DICI POSSIT
PRIDIE K. FEBR. AN. MDCCCXXXVI
ELATA SOLLEMNIBVS EXEQVIIS
COMITANTIBVS OMNIVM ORDINVM CIVIBVS
VTRIVSQVE SEXVS
INSIGNI PATRIAE IACTVRA CONSTERNATIS

XXIX.

NASCENTI MARIAE CHRISTINAE
EA OBTIGERVNT OMNIA
QVAE VVLGO MAGIS AESTIMANTVR
A CLARISSIMA SABAVDIAE GENTE ORIGO
FORMA ELEGANS RARA ANIMI INDOLES
INGENIVM SVPRA SEXVM
ET QVOD PRAESTANTIVS EST
A PRIMIS PVERITIAE ANNIS
EFFVLGENS IN DEVM PIETAS

XXX.

OMNIVM ADMIRATIONEM EXCITAVIT
IN ADOLESCENTIAE CVRRICVLO
MARIAE CHRISTINAE
MAXIMVS CVM FORMA PVDICITIAE CONSENSVS
CITO PARENTIBVS ORBATA
ADVLATIONIBVS AETATISQVE ILLECEBRIS
SORDENTIBVS
RELIGIONI ET PIETATI VIXIT
SVIS PRIVATIS OPIBVS VEL SACROS IN VSVS
VEL IN CALAMITOSORVM HOMINVM MISERIAS
SVBLEVANDAS EROGATIS

XXXI.

MARIAE CHRISTINAE
BREVIS IMPERII REGINAE MEMORIAE AETERNAE
FVIT OBITVS
POPVLIS LVCTVOSVS
BONIS GRAVIS
PAVPERIBVS ACERBISSIMVS

XXXII.

REGINAE MARIAE CHRISTINAE
SINGVLARE FVIT
SOLATIVM ADFLICTO NEGASSE NEMINI
PRAESENTEM OPEM MISERIS TVLISSE OMNIBVS

XXXIII.

DATE GEMITVS PAVPERES
ORBAE VIRGINES LACRYMIS RIGATE GENAS
VOBIS RAPTA EST
MARIA CHRISTINA REGINA ET MATER
PRAECIPVVM REGNI ORNAMENTVM

XXXIV.

AVGVSTAE MARIAE CHRISTINAE
PROLIXA FVIT BENEFICENTIA
IN PVPILLAS VIRGINESQVE VERECVNDIORES
MENSTRVA STIPE ALTERIS SVPPEDITATA
ALTERIS HOSPITIO CVM CENSV DIVITE DESTINATO
EGESTATI SIMVL ET PVDORI CONSVLVIT

XXXV.

REGINAE MARIAE CHRISTINAE
AD BEATORVM SEDES FESTINANTIS
SVPREMA FVERE VERBA
O MI FERDINANDE OPTIME REGVM
MVTVI AMORIS PIGNVS DILIGENTISSIME CVRA
PAVPERIBVS QVOTIDIE SVBVENI
POPVLOS CLEMENTISSIME REGITO

XXXVI.

MORTALES SATAGITE
DECIPIMVR VOTIS ET TEMPORE FALLIMVR
BONA VOLVCRI PEDE FVGIVNT
MARIA CHRISTINA AD SVPEROS EVOLAVIT
HAVE ANIMA PIENTISSIMA
D. O. M. NE ROGARE DESINAS
VT REGEM AVGVSTAM DOMVM AC VTR. SIC. POPVLOS
PROPITIVS CVSTODIAT PROTEGATQVE

(XXXVII) *In funere Fractae majoris habito.*

VINCENTIO CIMINIO
OPPIDI CONSENTINORVM IN LVCANIA DYNASTAE
PARENTALIA

XXXVIII.

VINCENTIO CIMINIO
OPPIDI CONSENTINORVM IN LVCANIA DYNASTAE
VIRO INTEGERRIMO
QVI
AB AETATE PRIMA IN CAVSIS AGENDIS
IVSTITIAM FIDEM PROBITATEM
CVNCTIS COMPROBAVIT
PRAESERTIM IN EGENTIVM PATROCINIO
COMMVNI OMNIVM PLAVSV
DOMINICVS
PARENTI OPTIMO DE SE BENEMERENTISSIMO
FACIVNDVM CVRAVIT
VIXIT ANN. LIV MENS. II DIES XXV
RAPTVS III NON. FEBR. AN. MDCCXCVIII
OMNIVM BONORVM LACRVMIS ELATVS

XXXIX.

LVGETE CIVES
VINCENTIVS CIMINIVS
VITAE INNOCENTIA MORVM SVAVITATE
LIBERALITATE IN PAVPERES EXIMIVS
FATIS CESSIT
LVGETE PATREM PVPILLI
AMISSVM SOLAMEN VIDVAE
CERTVM PRAESIDIVM INNVPTAE
VOSQVE OMNES
QVOS ADVERSA FORTVNA IACTAT
PATRONVM LVGETE

XL.

VINCENTIVS CIMINIVS
IVSTITIAE VINDEX ACERRIMVS
SCIENS VOLENS
LAESIT NEMINEM
SVVM CVIQVE TRIBVIT
OMNES VEL VLTRO BENEFICIIS OCCVPAVIT

XLI.

HEVHEV QVID SVMVS O MISERI
OMNES IN EADEM VERSAMVR NAVI
EN QVAM CITO VINCENTII CIMINII
ANIMA BENEFICENTISSIMA
AD SVPEROS EVOLAVIT
FRVSTRA CIVIVM LACRIMIS VOTISQVE EVOCATA

(XLII) *Tituli temporarii pro funere Trani celebrato.*

PETRO ANGIVLLIO
MEDICINAE PROFESSORI
IVSTA SOLVVNTVR

XLIII.

PETRVS ANGIVLLIVS
MORVM ELEGANTIA ET VITAE INTEGRITATE CLARISS
IN EGENIS SVBLEVANDIS
IN AMICITIA SVMMO STVDIO COLENDA
IN PAVPERIBVS QVOTIDIE CVRANDIS
FIDEM PRAETERGRESSVS
QVIEVIT XIII K. DEC. AN. MDCCCXI
ANNOS NATVS P. M. XXXI
OMNIVM LVCTV ET LACRIMIS ELATVS
AMICO INCOMPARABILI
AMICI DOLENTISSIMI FACIVNDVM CVRAVERE

XLIV.

PETRI ANGIVLLII
SVMMA BENEFICENTIA
MELIVS AB INOPVM GEMITIBVS
QVAM AB ORATORVM PRAECONIIS
COMMENDATVR

XLV.

PETRVS ANGIVLLIVS
FLORENTISS. AETATE VIVIS CESSIT
LAETAMINI EIVS MEMORIAE STVDIOSI
VIRTVS ANGIVLLII
INTAMINATIS FVLGET HONORIBVS
VIVETQVE AETERNITATE RERVM

(XLVI) *In funere Luceriae habito.*

PRO QVIETE AETERNA
FRANCISCI LOMBARDI
LVCERINAE ECCLESIAE CANONICI
SACRA FVNEBRIA

XLVII.

FRANCISCVS LOMBARDVS
INGENVARVM LITTERARVM STVDIO
MORVM SVAVITATE IN PAVPERES BENEFICENTIA
NVLLI SECVNDVS
FATIS IMMATVRE CESSIT
IX KAL. MAIAS AN. MDCCCXVII
VIXIT ANN. XLII MENS. IV D. XII

XLVIII.

FRANCISCVS LOMBARDVS
GRANDE SVI DESIDERIVM RELIQVIT
TANTA ENIM PRAESTITIT VITAE SANCTITATE
VT INSTAR OMNIVM
MERITO HABERETVR

XLIX.

FRANCISCVS LOMBARDVS
REI LITTERARVM PVBLICAE
PATRIAEQVE BONO NATVS
PROPERE NIMIS EREPTVS EST
CIVES E TVMVLO EXCITARE
FRVSTRA VOLVERINT

L.

FRANCISCE
QVANDOQVIDEM PRAECLARA MERITA
TE SVPER ORBES SIDERVM EXTVLERVNT
DEVM OPT. MAX. PRECATOR
VT PATRIAM CIVESQVE
BONIS OMNIBVS AVGEAT

Ad Luceriam.

Luceria Ingentes Geminas Cur Moesta Querelas ?
Num Quia Lombardum Mors Inimica Tulit ?
Abstulit Illa Quidem Raptum Iuvenilibus Annis
Fugit At Ex Avidis Pars Melior Manibus
Illius Haud Animi Cultus , Doctique Libelli ,
Non Virtus Nigra Forfice Secta Iacent ;
Pone Modum Lacrymis : Extat Vivacior Ille
Qui Potuit Vita Nobiliore Frui.

(LI) *In funere Neapoli in sodalitio S. Mariae de Fide celebrato.*

VINCENTIO DE BAVCIO
MILITVM INTERIORIS SECVRITATIS CENTVRIONI
SACRA VERTENTIS ANNI PIAMINA
VIRO DE PATRIA OPTIME MERITO
PACEM ADPRECATOR

LII.

VINCENTIO DE BAVCIO
DOMO NEAPOLI
AETERNA MEMORIA DIGNO
QVI
EVNTIBVS PATRIAE TEMPORIBVS DIFFICILLIMIS
PVBLICAM FREQVENTISSIMAE CIVITATIS
SECVRITATEM
MANV CONSILIO MORTE DENIQVE TVTATVS EST
ILLVSTRI FORTITVDINIS EXEMPLO POSTERIS RELICTO
ALOYSIA TAGLIALATELA
VXOR LVCTVI ET MOERORI TRADITA
ANNIVERSARIA PARENTALIORVM OFFICIA
RITE PERSOLVIT
TORMENTI VI CECIDIT X K. IVN. MDCCCXV
VIXIT ANN. XXX MENS. XI D. XXIII

LIII.

VINCENTII DE BAVCIO
MAXIMA IN PATRIAM FIDES
IN AMICOS COMITAS
IN EGENOS COMMISERATIO
STABVNT CVM SOLE ET LVNA

LIV.

VINCENTIVS DE BAVCIO
FLVXA ET CADVCA OMNIA
RATVS
TOTAM HVIVS VITAE FELICITATEM
IN VNA VIRTVTE POSITAM
REPVTAVIT

LV.

STEMMATA QVID FACIVNT
QVID OPES
QVID SVMMI HONORVM GRADVS
OMNIA DIFFVGIVNT
SOLA VIRTVS
HAVD OBIT HAVD POTEST OBIRE
VINCENTIVS DE BAVCIO
HINC RAPTVS
VITA FRVITVR SEMPITERNA

LVI.

VINCENTIVS DE BAVCIO
FLORENTISSIMA AETATE
PVBLICAE SECVRITATI SE SVAQVE OMNIA
DEVOVIT
PVLCHRVM ET DECORVM EST
PRO PATRIA MORI

(LVII) *In funere ibidem habito in templo D. Georgii Genuensium.*

PRO QVIETE
THOMAE CARAVITAE
PATRITII NEAPOLITANI
SIRINIANENSIVM PRINCIPIS
SVPREMAE CVRIAE IVDICIORVM INDVCENDORVM
PRAEFECTI
SACRA PIACVLARIA
ADESTE PRECIBVS VOTISQVE

LVIII.

THOMAS CARAVITA
IN CAVSSIS IVDICIISQVE AGENDIS
PRAESTANTISSIMORVM GLORIAM
AEQVAVIT VEL EXCESSIT
VI VIR IN M. CVRIA STLITIBVS IVDICANDIS
XXIV VIR IN S. R. CONSILIO
AVLAE SVMMOQVE SENATVI PRAEFECTO
IN CIVITATIS ADMINISTRATIONE VI VIR
TVTELAE SALVTIS PVBLICAE PRAEPOSITVS
SVPREMAE CVRIAE IVDICIORVM INDVCENDORVM
PRAESES
TOT MVNERA
TANTA OBIIT DEXTERITATE DOCTRINA
ABSTINENTIA
VT OMNIVM ORDINVM EXPECTATIONEM SVPERARIT
IOSEPHVS PATRI BENEMERENTISS
CVM LACRYMIS PARENTAT MORE MAIORVM
VIXIT ANNOS LXX
DECESSIT POSTRID. ID. NOV. AN. MDCCCXIX
ELATVS FVNERE PRORSVS PVBLICO

LIX.

THOMAS CARAVITA
IN REBVS EXPEDIENDIS
OMNIGENA QVA POLLEBAT VNIVERSI IVRIS SCIENTIA
INTEGRITATE MORVM SERMONIS COMITATE
LITIGANTIVM MOLESTIIS VINCI NESCIA
MIRA OMNIVM CONSENSIONE
INTER PRAECIPVA CIVITATIS ORNAMENTA
MERITO SVO FVIT ET HABITVS EST

LX.

THOMAS CARAVITA
PIETATE IN DEVM IN EGENOS LIBERALITATE
ANIMI MAGNITVDINE CLARISSIMVS
ADVERSIS IN REBVS ADMIRABILIOR QVAM SECVNDIS
TANTA PRVDENTIA SAPIENTIA CONSILIO
QVINQVAGINTA FERE ANNOS VSVS EST
IN PERTRACTANDIS SVMMIS REGNI NEGOTIIS
VEL CALAMITOSIS TEMPORIBVS
VT EXEMPLO NON VVLGARI
REGI PROCERIBVS TOTIQVE POPVLO
SEMPER FVERIT ACCEPTISSIMVS

LXI.

SENATORIVM DECVS
PLVRIBVS ABHINC SAECVLIS CARAVITAE DOMVI
ADHAERENS
THOMAS
SVMMIS MVNERIBVS HONORIBVSQVE PERFVNCTVS
AVGVSTIVS REDDIDIT
AVXITQVE APVD POSTEROS GLORIAM
SPLENDIDISSIMA SVPREMI MAGISTRATVS ACCESSIONE

(LXII) *Ibidem in aede S. Petri martyris tumuli temporarii inscriptiones.*

MARIAE THERESIAE DE ARETIO
SANCLEMENTINORVM DVCI
IVSTA SOLVVNTVR
MATRONAE BENEFICENTISSIMAE
PACEM ADPRECAMINI

LXIII.

MARIA THERESIA DE ARETIO
HORATII MARCHIONIS EXERCITVS NEAPOLIT
SVPREMI DVCIS F
ANIMI VIRTVTE INGENIO LITTERISQVE
SVPRA SEXVM PRAEDITA
SINGVLARIS BENEFICENTIAE SAPIENTIAE
PRVDENTIAE ET PIETATIS IN DEVM
EXEMPLIS EDITIS NVNQVAM INTERITVRIS
DIVTINO PERTINACISSIMOQVE MORBO VEXATA
POST ACERBISSIMOS CRVCIATVS
AEQVANIMITATE PRORSVS INCOMPARABILI
DIEM OBIIT SVPREMVM
VIXIT ANNOS LXII
EXCESSIT PRID. K. MART. AN. MDCCCXXII

LXIV.

MARIA THERESIA DE ARETIO
IN ADVERSIS PRAECIPVE REBVS
DVXIT EXIMIVM
INIVRIAS OBLIVISCI
CALAMITOSOS BENIGNE SEMPER EXCIPERE

LXV.

MARIA THERESIA DE ARETIO
OPPORTVNISSIMO TEMPORE RAROQVE EXEMPLO
GENERIS NOBILITATEM DIVITIAS
ALIAQVE STVLTITIARVM INCITAMENTA SEMPER
ASPERNATA
OMNIA IN VNA VIRTVTE POSITA
PERPETVO EXISTIMAVIT

(LXVI) *Tituli temporarii in funere habito Fractae majoris.*

ANGELO DE SPENIS
VIRO BENEFICENTISSIMO
SVPREMA FVNERIS OFFICIA

LXVII.

ANGELVS DE SPENIS
MORVM SVAVITATE ATQVE INTEGRITATE ILLVSTRIS
EXIMIAE IN DEVM PIETATIS
BENEFICENTIAE IN PAVPERES PROLIXAE
ET PERPETVAE
INDEFESSAE IN PROLE EDVCANDA SEDVLITATIS
INTER PRAECIPVA PATRIAE ORNAMENTA
MERITO ADCENSENDVS
FILII LVCTV EXTERNATI PARENTI BENEMERENTISS
VIXIT ANN. LXI MENS. IV D. XI
DESIDERATVS EST POSTRID. K. DECEMBR
AN. MDCCCXXVI
PVBLICIS ELATVS LACRYMIS

LXVIII.

IN SVMMA REI ALIMENTARIAE CARITATE
ANGELI DE SPENIS
IN EGENOS LARGITAS MAXIMOPERE ENITVIT
VICTV VESTITV ALIISQVE AD VITAE COMMODA
NECESSARIIS
QVOTIDIE AC TAM PROFVSE PRAEBVIT
VT PATER PAVPERVM VVLGO AVDIRET

LXIX.

ANGELVS DE SPENIS
AEQVO ANIMO
VICES TEMPORVM PASSVS
NEMINI NOCERE MVLTIS PRODESSE
IN DELICIIS HABVIT

LXX.

DIVINARVM HVMANARVMQVE RERVM
RECTOR AETERNE
VNICA SPES MORTALIVM
ANGELVM DE SPENIS
TIBI ADDICTISSIMVM
VITA FVNCTVM INTEGERRIMA
IN BEATORVM SEDE
EXCIPE VOLENS PROPITIVS

(LXXI) *In funere Teate celebrato.*

PAVLLO AQVILAE
SCHOLARVM PIARVM SACERDOTI CLARISS
AMICORVM COETVS
AERE COLLATO FVNVS ADPARAVIT
QVIS QVIS ADES
PIENTISSIMAE ANIMAE
PACEM ADPRECATOR

LXXII.

PAVLLVS AQVILA
DOMO LVCANVS
SCHOLARVM PIARVM TEATE
RECTOR VIGILANTISS
PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS PROFESSOR
SACRA ELOQVENTIA NVLLI SECVNDVS
VIXIT ANN. LXVII. P. M
OCCVBVIT TEATE VI K. DECEMBR. AN. MDCCCXXXV
AETERNO SVI DESIDERIO
APVD OMNES CIVIVM ORDINES RELICTO

LXXIII.

PAVLLI AQVILAE
VIRTVTES
MELIVS TEATINORVM GEMITVS
QVAM ORATORVM PRAECONIA OSTENDVNT

LXXIV.

RELIGIONIS ASSIDVVS CVLTVS
PROLIXA IN EGENOS LIBERALITAS
COMITAS IN AMICOS
PAVLLO AQVILAE
MAGNAM VIRTVTIS COMMENDATIONEM
PEPERERVNT

LXXV.

CHRISTE IESV
SALVS CERTA MORTALIVM
QVANDOQVIDEM PAVLLVS AQVILA
CONCIONATOR ELOQVENTISS
PRO ECCLESIAE TVAE
TVTANDA AVGENDAQVE DIGNITATE
VITAM LABORIBVS EXERCITAM
AD EXTREMVM VSQVE SPIRITVM
TRADVXIT IMPIGERRIME
VT IN AETERNAM BEATORVM SEDEM EXCIPIAS
ENIXE COMPRECAMVR

(LXXVI) *In funere Neapoli celebrato in sodalitio sacri montis et mensae publicae pauperum.*

SERAPHINO DE IANVARIO
HVIVSCE SODALITII
NON SEMEL PRAEPOSITO
PLVRIES CVRATORI
SVPREMA FVNERIS OFFICIA
PERSOLVVNTVR

LXXVII.

SERAPHINVS DE IANVARIO
IOSEPHI AVRELII VIRI CLARISSIMI FILIVS
AD BONAS ARTES DISCIPLINASQVE
PRAESERTIM IVRISPRVDENTIAM
OPTIMIS PRAECEPTORIBVS INSTITVTVS
DOCTISSIMO PARENTE MODERATORE
SVSCEPTA PRIVATARVM FORTVNARVM TVTELA
CVNCTIS FIDEM ABSTINENTIAM SEDVLITATEMQ
PROBAVIT
EGENTIBVS AVTEM LIBERALITATE ET PATROCINIO
NVLLO VNQVAM TEMPORE DEFVIT
VIXIT ANN. XCIV M. IX D. IV
OBIIT VII KAL. IVL. AN. MDCCCXXXVII
VIRO BENEMERENTISSIMO
EX DECRETO CVRATORVM
SACRI MONTIS PAVPERVMQVE MENSAE PVBLICAE
SS. NOMINIS DEI
SODALES PACEM AETERNAM ADPRECANTVR

LXXVIII.

IN RE DOMESTICA CVRANDA
STRENVE SE GESSIT
SERAPHINVS DE IANVARIO
IN INSTITVENDIS VERO FRATRIS FILIIS ADHVC PVERIS
PATRE ORBATIS
TANTA SOLERTIA INCVBVIT
VT PATRVI IMAGO
CVM PERPETVA BENEFICIORVM RECORDATIONE
REVIVISCAT

LXXIX.

SERAPHINVS DE IANVARIO
RELIGIONE PIETATE MORVMQVE INTEGRITATE
PRAESTANTISSIMVS
ADVERSIS POTISSIMVM REBVS
HOC DVXIT EXIMIVM
SVPREMO NVMINI SE CONFORMARE
NEMINEM LAEDERE
OMNIBVS BENEFACERE ATQVE OPITVLARI

LXXX.

SERAPHINE
QVANDOQVIDEM PRAECLARA MERITA
TE SVPER ORBES SIDERVM EXTVLERVNT
VTI SPERAMVS
DEVM OPT. MAX. PRECATOR
VT CALAMITATES MORBOSQVE
GRASSANTEM PRAECIPVE CHOLERAM
NOBIS PERPETVO AVERRVNCET

(LXXXI) *Ibidem in eodem sodalitio.*

GABRIELI MARIAE MARANO
EX MARCHIONIBVS PETRVRI
HVIVS SODALITII CVRATORI
SACRA FVNEBRIA

LXXXII.

GABRIEL MARIA MARANVS
EX MARCHIONIBVS PETRVRI
INGENIO NON VVLGARI PRAEDITVS
TANTA ALACRITATE
LITTERIS HVMANIORIBVS AC IVRISPRVDENTIAE
NAVAVIT OPERAM
VT ADOLESCENS ADHVC CAVSSAS IN FORO EGERIT
INTEGRITATE AC DILIGENTIA SINGVLARI
CARITATE AVTEM IN DEVM ATQVE EGENOS
ADEO FLAGRABAT
VT NON MODO SVAS LARGIRETVR OPES
SED QVOTIDIE SODALITII LEGE
PRECARIAM STIPEM PAVPERIBVS ALENDIS
COLLIGERET
SAEVISSIMA DEBACCHANTE CHOLERA
DECESSIT V ID IVL. AN. MDCCCXXXVII
VIXIT AN. L. M. III D. XIX
TANTO VIRO
CVRATORES SODALITII
SACRI MONTIS PVBLICAEQVE PAVPERVM MENSAE
SS. NOMINIS DEI
PARENTANDVM CENSVERVNT

LXXXIII.

GABRIEL MARIA MARANVS
IN RESTITVTIONE SODALITII
OPERE ET CONSILIO SEDVLVS
TEMPLI HVIVS COMMODO AC SPLENDORE
SVA PECVNIA AVCTO
QVAMVIS RECENS INTER SODALES COOPTATVS
MIRA OMNIVM CONSENSIONE
SODALITII ADVOCATVS ET CVRATOR
DESIGNATVR

LXXXIV.

HEV ! SPES HOMINVM FALLACES
INANIA VOTA !
GABRIEL MARIA MARANVS
SVORVN AMOR AC DELICIAE
AMICORVM VOLVPTAS PAVPERVM LEVAMEN
DVM ANIMI LEVANDI GRATIA
IN MARITIMA VRBIS ORA MORATVR
PERTINACISSIMO SAEVIENTE MORBO INTERCEPTVS
PAVCARVM HORARVM SPATIO DIEM OBIIT SVPREMVM

LXXXV.

HOMINVM SATOR ET VINDEX
RERVM AETERNE RECTOR
GABRIELEM MARIAM MARANVM
EXCIPE PROPITIVS
AETERNOQVE VIRTVTIS PRAEMIO
REMVNERARE

(LXXXVI) *Ibidem in funere celebrato in aede S. Georgii Genuensium.*

MARCO ANTONIO DORIAE
ANGRI CENTVLAE ET PISCIOTTAE PRINCIPI
EBOLITANORVM DVCI
MISERORVM SOLATORI EXIMIO
CVM CLARISSIMIS EX OMNI ANTIQVITATE VIRIS
COMPARANDO
FILII LVCTV ET MOERORE EXTERNATI
IVSTA PERSOLVVNT MORE MAIORVM

LXXXVII.

MARCVS ANTONIVS DORIA
ANGRI CENTVLAE ET PISCIOTTAE PRINCEPS
EBOLITANORVM DVX
AVG. REGIS FERDINANDI II BORBONII
INTERIORIS ADMISSIONIS CVBICVLARIVS
REGALISQVE ORDINIS S. IANVARII EQVES
GENERIS NOBILITATE ANIMIQVE CELSITVDINE
INSIGNIS
COMITATE MVNIFICENTIA LIBERALITATE
PLVRES QVOTIDIE BENEFICIIS DEVINXIT
PVPILLOS EGENOSQVE VERECVNDIORES
MENSTRVA SVMMA CENTVSSIVM CIRCITER
QVINGENTORVM CLAM SVPPEDITATA
FOVIT EREXITQVE
VIXIT ANN. LXXII M. I D. XXI
DESIDERATVS EST XII K. SEPT. AN. MDCCCXXXVII

(LXXXIII) *Fractae majoris in tumulo Vincentii Ciminii.*

VINCENTIO CIMINIO
OPPIDI CONSENTINORVM IN LVCANIA DYNASTAE
V. I. D. AC IN FORO NEAPOLIT. CAVSARVM PATRONO
VIRO INTEGERRIMO
QVI NEMINEM LAEDERE AMICITIAM COLERE
ALIOS VEL VLTRO BENEFICIIS ADIRE
PAVPERES SINV EXCIPERE
DVXIT EXIMIVM
DOMINICVS F. AEGER DOLORE
IN GENTILITIO SACELLO PARENTI OPTVMO M. P.
VIXIT ANN. LIV MENS. II DIES XXV
DECESSIT PRID. NON. FEBR. AN. MDCCXCVIII
TOTIVS MVNICIPII LVCTV ET LACRVMIS ELATVS EST

(LXXXIX) *Neapoli in templo B. Mariae Virginis vulgo nuncupatae* delle Grazie.

NICOLAO DE ROSA
PROSPERI MARCHIONIS VILLAEROSAE F
MORVM SANCTITATE ATQVE ANIMI FORTITVDINE
CVM APOSTOLICIS VIRIS COMPARANDO
QVI
CANONICVS NEAPOLIT. ECCLESIAE
PVTEOLANORVM EPISCOPVS
REGII SACELLI ANTISTES REGIAEQVE STVDIORVM
ACADEMIAE
AC TRIBVNALIS MIXTI PRAESES
SACERDOTII ATQVE IMPERII CONCORDIAM
ADMIRABILI CONSTANTIA SARTAM TECTAM SERVAVIT
BASILICAM PVTEOLANAM COLLABENTEM RESTITVIT
PRETIOSAQVE DITAVIT SVPELLECTILE
CLERICORVM SEMINARIVM LAXIORIBVS SPATIIS
PAENE AB INCHOATO EXTRVCTVM
SEVERIORI DISCIPLINA COMMVNIVIT
VICANA TEMPLA AD DIVINI CVLTVS DIGNITATEM
EXORNAVIT
EXIMIA IN PAVPERES LARGITATE
SIBI PARCISSIMVS
VNO VIRTVTVM SVARVM PATRIMONIO
POSTERIS RELICTO
VIXIT ANN. LXXXI MENS. VII
OBIIT XIII K. MART. AN. MDCCLXXIV
THOMAS PATRVO SVO P.

(XC) *Pro Xaverio de Andrea.*

VIRO SAPIENTISS. PHILIPPO MAZOCHIO MARCHIONI
SACRI REG. CONSILII NEAPOLIT. PRAESIDI
ATQVE REGALI CAMERAE S. CLARAE PRAEFECTO

Ioseph Castaldius

Mirum quantum, vir sapientissime, doluit universa haec civitas ab obitu Xaverii de Andrea! Hoc enim viro e vivis sublato, honestas asylum, litterae vindicem, forum lumen suum splendidissimum amiserunt. Proh qualem quantumque virum! Ego non fortunae quidem, sed ejus virtutis amantissimus epitaphium hoc ad leniendum dolorem conscripsi. Utinam defunctum exhibeat, qualem natura perbelle ad imitandum effinxit! Sed qualecumque est tibi sisto, mihique videre videor ipsum De Andrea e sempiternis illis sedibus, ubi vera fruitur beatitate, tanto de patrono sibi summopere gratulari. Te interim, vir sapientissime, rogatum obtestatumque volo, ut hoc in virum clarissimum amoris, in te obsequii, observantiaeque monumentum aequi, bonique consulas, meque in tuam fidem, et clientelam recipere non dedigneris. Cura, ut valeas, teque publicae utilitati quam diutissime serves incolumem. Vale.

Ex meo museolo prid. idus Dec. an. MDCCIIC.

AD AETERNITATEM NOMINIS
XAVERII DE ANDREA
VIVIRI IN M. CVRIA STLITIBVS IVDICANDIS
XXIVVIRI SACRI REGII CONSILII
IN SICILIAE TRANSFRETANAE ADMINISTRATIONE
REGI A CONSILIIS
IVVIRI REGIO AERARIO REGVNDO
OMNIGENA DIVINI HVMANIQVE IVRIS SCIENTIA
INTER ILLVSTRIORA
NEAPOLIT. FORI ORNAMENTA ADNVMERANDI
QVI
MIRA OMNIVM ORDINVM CONSENSIONE
SAPIENTISSIMVS INTEGERRIMVSQVE HABITVS
TVLIT AETAT. SVAE ANNOS LXIII M. XI D. X
DECESSIT V ID. DECEMBR. AN. MDCCIIC
ELATVS FREQVENTISSIMO COMITATV
EXEMPLO HVIC AETATI OPPORTVNISSIMO
PRAEMONENTVR VNIVERSI
QVA POTISSIMVM VIA
NITATVR AD GLORIAM

(XCI) *Francisco Danielio ponenda.*

FRANCISCO DANIELIO
ORDINVM HIEROSOLYMITANI AC VTR. SIC. EQVITI
NEAPOLIT. ACADEMIAE HISTOR. ET ANTIQVIT. A SECR
REGIAE TYPOGRAPHIAE PRAEFECTO
QVI
PATRIIS ANTIQVITATIB. COLLECTIS ILLVSTRATISQ
IN OMNES FORTVNA VEXATOS
DIFFICILLIMIS MAXIME TEMPORIBVS
BENEFICIIS VLTRO CONLATIS
AETERNVM SVI DESIDERIVM MERITO RELIQVIT
VIXIT ANN. LXXII M. VII D. III
OCCVBVIT POSTRID. ID. NOV. AN. MDCCCXII

(XCII) *Nicolao Vallettae ponenda.*

IMMORTALITATI NOMINIS
EQVITIS NICOLAI VALLETTAE
QVI
IVRIS INTERPRETATIONE ET POESI
NVLLI SECVNDVS
ANTECESSOR IN NEAPOLIT. ARCHIGYMNASIO DOMIQ
IVS DISERTISSIME DOCVIT
ETRVSCA CARMINA EX TEMPORE
MIRVM IN MODVM PANXIT CECINITQVE
VIXIT ANNOS LXVI MENS. V
PERIIT X K. DECEMBR. AN. MDCCCXIV

(XCIII) *Neapoli in aede SS. Virginis Annunciatae.*

PASCHALI DANIELIO
ORDINIS CONSTANTINIANI EQVITI
PVBLICIS REBVS BENE ADMINISTRANDIS
SAGACISSIMO
QVI
IN SVMMA REI FRVMENTARIAE CARITATE
ANNONA FREQVENTISSIMAE CIVITATIS NON SEMEL
INSTAVRATA
HONORE R. OLIM CAMERAE SVMMARVM RATIONVM
PRAESES
AC XXIVVIR IN M. CVRIA A PVBLICIS RATIONIB
ORPHANOTROPHIO ET NOSOCOMIO VIRGINIS
ANNVNCIATAE PRAEFECTVS
DECESSIT POSTRID. NON. IVN. AN. MDCCCXVIII
VIXIT ANNOS LXIV P. M
CVRATORES ORPHANOTROPHII ET NOSOCOMII
COLLEGAE BENEMERENTISS. MON. PP

(XCIV) *Potentiae.*

MARIA THERESIA POMARICIA
HEIC SITA EST
OMNIBVS CORPORIS ANIMIQVE DOTIBVS ORNATA
SEPTIMO A NVPTIIS MENSE
IMMATVRO PARTV OCCVBVIT
V. NON. OCTOBR. AN. MDCCCXVII
VIXIT ANNOS XXII
TOTIVS CIVITATIS MOERORE ELATA EST
IANVS VINCENTIVS
IN ADMINISTRATIONE PROV. LVCANIAE A CONSILIIS
FILIAE CARISS. CONTRA VOTVM P
I NVNC ET IVVENTAE FIDENS
SPEM LONGAM INCHOARE AVDE

(XCV) *Aviliani.*

OSSA HEIC SITA SVNT
NICOLAI MARIAE CORBI
IN RE DOMESTICA CVRANDA LIBERISQVE INSTITVENDIS
SINGVLARIS INDVSTRIAE SOLERTIAEQVE
QVI
OB INNVMERA IN CIVES ADVENASQVE
IN GRAVISSIMA RERVM OMNIVM PERTVRBATIONE
BENEFICIA VLTRO CONLATA
PATRIAE ET PAVPERVM PATER AVDIVIT
VIXIT ANN. LXIII MENS. II D. XV
DECESSIT XVI K. QVINTIL. AN. MDCCCIII
FILII MOERENTISSIMI PARENTI OPTIMO
OPTIMEQVE DE SE MERITO PP
HVNC CONIVX GNATI CIVIS DEFLEVIT ET HOSPES

(XCVI) *Rhegii Iulii.*

ANNA MVSOLINIA
THOMAE DE BAVCIO VXOR HEIC IACET
IN EDVCANDA PROLE IN RE DOMESTICA CVRANDA
MATERFAMILIAS OPTIMA
MORVM VERO INGENVITATE TANTA INCLARVIT
VT SINGVLARE CIVITATIS ORNAMENTVM HABERETVR
VIX. ANN. XXII OBIIT VI ID. IVL. AN. MDCCCXIII
BENEDICTVS MVSOLINIVS EQVES
RHEGII IVLII PRO-PRAEFECTVS
FRATRIS FILIAE MOERENS DOLENS P

(XCVII) *Ibidem.*

PASCHALI TESTAE
RHEGINAE ECCLESIAE CAN. THEOL
MORIBVS EFFVSAQVE IN EGENOS LARGITATE CLARO
QVI VICARIVS CAPITVLARIS AN. MDCCCX
TEMPORE SANE DIFFICILLIMO
TANTAM IN MVNERE OBEVNDO
SOLERTIAM SEX ANNOS PRAESETVLIT
VT GLORIAM PATRVORVM IANVARII
CAN. POENITENTIARII
ET ANGELI V. I. D. LITIBVS A VEHICVLARI CVRSV
ET AB AGRO DAVNIAE SCRIPTVRARIO DIRIMENDIS
RHEGII IVLII PRAEFECTI
VEL AEQVAVERIT VEL EXCESSERIT
VIXIT ANN. LVI P. M. OCCVBVIT AN. MDCCCXVI
ALOYSIVS ET MARCIANVS CANONICI RHEGINI
AC IN EXERCITV NEAPOLIT. A SACRIS
IANVARIVS IN EODEM EXERCITV PYROBOLARIORVM
SVBCENTVRIO
FRATRI ET PATRVO BENEMERENTISSIMO PP.

(XCVIII) *Calabriae in seminario italo-graeco S. Hadriani.*

FRANCISCO BVLLARIO
OMNIGENA DOCTRINA VETERVM LINGVARVM PERITIA
MORVMQVE INNOCENTIA PRAESTANTISSIMO
QVI
OB EGREGIAM OPERAM IVVENTVTI
IN SEMINARIO ITALO-GRAECO CLERICORVM NAVATAM
EPISCOPVS ALBANORVM REGIONEM BRVTIORVM
INCOLENTIVM
A PIO VI P. M. AN. MDCCXCII RENVNCIATVS
ANNO VERO MDCCXCIV
A FERDINANDO BORBONIO VTR. SIC. REGE OBTINVIT
VT EIVSDEM SEMINARII ALVMNI
EX S. BENEDICTO VLLANO CAELI CRASSIORIS OPPIDO
HVC AD D. HADRIANI MONASTERIVM TRANSFERRENTVR
AMPLOQVE CENSV DONARENTVR
ANGELVS MASCIVS AVVNCVLO OPTIMO P
SEDIT ANNOS XIV
DESIDERATVS EST XV K. SEPTEMBR. AN. MDCCCVI

(IC) *Vito Mariae Iuvenatio ponenda.*

HEIC SITVS EST
VITVS MARIA IVVENATIVS
VIR SAECVLO SVO MAIOR
PENITIORIS CRITICES VSV SVBACTOQVE INGENIO
AD MAXIMA QVAEQVE
IN RE LITTERARVM PVBLICA NATVS
IN CONDENDIS VERO CARMINIBVS
CVLTV ELEGANTIA NITORE
AEVI AVGVSTAEI GLORIAM AEMVLATVS
VIXIT ANN. LXXVIII M. IV D. VIII
PERIIT ROMAE IV K. IVL. AN. MDCCCV

(C) *Neapoli in templo Deiparae Angelorum ad Echiam.*

IOSEPHO DE GEMMIS THOMAE FIL
DOMO TERLICIO NOBILI GENERE ORTO
QVI IN AGENDIS IN FORO CAVSSIS
MAGNA INGENII ADMIRATIONE EXCITATA
LIBELLENSIVM REGII SCRINII
RERVM ECCLESIASTIC. PRIOR
REGIAEQVE OLIM SVMMARVM RATIONVM CAMERAE
HONORE PRAESES
IN PERTRACTANDIS PVBLICIS NEGOTIIS
SAPIENTIA DEXTERITATE ABSTINENTIA
OMNIVM EXPECTATIONE SVPERATA
VIXIT ANN. LXXVII MENS. III DIES XXIII
OCCVBVIT III ID. IAN. AN MDCCCXII
CANDIDA IORDANA EX DVCIBVS ORATINI
IOACHIMVS MELPHIS ET RAPOLLAE EPISCOPVS
IOANNES IN SVPREMA CVRIA IVSTITIAE
HONORE CONSILIARIVS CONIVGI ET FRATRI PP.

(CI) *In viridario collis Pausilypi Patri Carafae.*

PSITTACVS DELICIVM DOMINAE SOLATIVM VICINIAE
INGENIO LEPORE FORMA DECVS AVIVM
TRISTI FATO FENESTRA EXCIDIT OBIITQVE
IV NON. OCTOBR. AN. MDCCCIV
VIATOR QVI VENVSTATES AMAS
NISI LACRIMAS SPARGE FLORES

(CII) *Romae.*

QVICVMQVE TRANSIS HAC CIVIS VEL ADVENA
PARVMPER SISTE ET INTVERE MARMORIS .
NOTAS OPPOSITI IN HOC SEPVLCRO CONDITVR
IOSEPHVS ERRANS TANTI SAT NOMEN VIRI
MONET PICTVRA QVID IACTVRAE FECERIT
MORVMQVE INTEGRITAS ATQVE IN OMNES LARGITAS
VIATOR ID VOLEBAM NE ESSES NESCIVS
NVNC DICTA REQVIETE MANIBVS PIIS
NE PARVA OBSIT MORA CARPE ITER VELOCIVS
VIXIT ANN. LX M. X D. XXVII
PERIIT ROMAE XIV K. MART. AN. MDCCCXXI

(CIII) *Neapoli in nosocomio Insanabilium ponenda.*

MARCVS AVRELIVS SEVERINVS
DE PHILOSOPHIA MEDICINA ET CHIRVRGIA
OPTIME MERITVS
IN ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO
ANATOMIAE ET MEDICINAE PROFESSOR
IN HOC INSANABILIVM NOSOCOMIO
CLINICEN ET CHIRVRGIAM
QVAE ANTEHAC EMPIRICIS EXERCEBATVR
NOVA SAPIENTIQVE METHODO
STVDIOSAE TOTIVS FERE ITALIAE IVVENTVTI
PRIMVS EXCOLENDAM TRADIDIT
ORTVS EST CAPRASIAE IN BRVTIIS AN. MDLXXX
OCCVBVIT ID. IVL. AN. MDCLVI
DVM CIVES NEAPOLITANOS
DIRA PESTILENTIA CORREPTOS
OMNI ARTIS OPE IVVABAT

(CIV) *Paschali Falcignio ponenda.*

PASCHALIS FALCIGNIVS
ANIMI VIRTVTE MORVMQVE INTEGRITATE CLARISS
OMNIGENA QVA POLLEBAT VNIVERSI IVRIS SCIENTIA
NEAPOLI STLITIBVS IVDICANDIS XIIVIR
MOX TRIBVS ADIECTIS AVLIS PRAESES
TANDEM CVRIAE APPELLATIONIB
DIRIMENDIS XXVIIIVIR
MIRA IN REBVS EXPEDIENDIS DEXTERITATE
APOPLEXIA CORREPTVS
FATIS CESSIT PRID. K. FEBR. AN. MDCCCXV
VIXIT ANN. XLV P. M.
MARGARITA FASVLA CONIVGI CARISS. P.

(CV) *Marcianisii.*

THERESIAE LAETITIAE
GENERE ET MORIBVS PRAECLARAE
AETATE ADHVC INTEGRA
SVIS PAVPERIBVSQVE PRAEREPTAE
CAMILLVS PELLEGRINIVS VINCENTII FIL
VXORI AMATISSIMAE LVGENS MOERENS P.
VIXIT ANN. XXVI
DECESSIT VII ID. FEBR. AN. MDCCCXX

(CVI) *Pithecusae.*

PACI AETERNAE
IACOBI CASTALDII
INTEGERRIMI PIENTISSIMIQVE VIRI
QVI IN EGENOS LIBERALITATE PROLIXA
CETERIS LONGE PRAESTITIT
VIXIT ANN. L. MENS. V D. IX
E VIVIS SVBLATVS III K. AVG. AN. MDCCCXX
MAGDALENE VECCIA
CONIVGI INCOMPARABILI CVM LACRYMIS P.

(CVII) *In D. Joannis Majoris aede Neapoli.*

IANVARIVS RADENTVS
CANONICVS S. IOANNIS MAIORIS
VETERVM LINGVARVM SCIENTIA DOCTISSIMVS
PIETATE VERO IN DEVM
ET CHRISTIANAE RELIGIONIS PROPAGANDAE STVDIO
APOSTOLICIS SAECVLIS INVIDENDVS
VIXIT ANN. LXXX P. M.
OCCVBVIT VI K. NOVEMBR. AN. MDCCCV
ELATVS EST
COMMVNI OMNIVM LVCTV PRAECIPVE EGENTIVM
QVIBVS QVOTIDIE DE SVO LARGIEBATVR
CANONICI LOCVM HONORIS VIRTVTISQVE CAVSSA
DEDERVNT
HAVE ANIMA SANCTISS. ET VIVE IN DOMINO

(CVIII) *Petrafesae.*

IOANNIS DE GREGORIO PETRAFESIANI
CVM PRIMIS SVI AEVI PICTORIBVS COMPARANDI
OSSA
TEMPORVM INIVRIA HINC DETVRBATA
IN TVMVLO VELVT IN AEDE PROPRIA
SERAPHINVS OLITA
AD MEMORIAM ARTIFICIS PRAESTANTISS. RENOVANDAM
QVIESCENDA RECONDIDIT AN. MDCCCXIII
VIXIT ANN. LXXVII P. M.
OBIIT IV K. NOV. AN. MDCLVI

(CIX) *Fogiae.*

ANNAE MARIAE DE LVCA
IOANNIS PORTAE VXORI
MORVM INGENVITATE AC BENEFICENTIA
IN RE VERO FAMILIARI CVRANDA
LIBERISQVE INSTITVENDIS
RARISSIMI EXEMPLI MATRONAE
PRAEMATVRO VIRI NATORVMQVE OBITV
CONFECTAE PRID. ID. IANVAR. AN. MDCCCXII
AETATIS SVAE XXXIX
DOMINICVS MARCHIO DE LVCA PATER
ANTONIA PORTA VNA SVPERSTES FILIA
MOERORE EXTERNATI POSVERE

(CX) *Sancti Severi in Daunia.*

QVIETI ET MEMORIAE AETERNAE
ALOYSIAE DE MONTEMAIORE
MARCHIONIS EMMANVELIS ET RACHELIS CHAVDALAE F
ANIMI VIRTVTE ATQVE INGENIO SVPRA SEXVM
PRAESTANTISSIMAE
PRAEREPTAE XI K. NOV. AN. MDCCCXIII
AETATIS SVAE XXXII MENS. VI P. M
BENEDICTVS PATRONIVS S. SEVERI PRO-PRAEFECTVS
CONIVGI CARISS. P.

(CXI) *Neapoli in templo S. Mariae ad plateam.*

IOSEPHVS CASTALDIVS IACOBI F.
ECCLESIAE S. MARIAE AD PLATEAM PAROCHVS
SACRARVM LITTERARVM SCIENTIA EXCVLTVS
PIETATE IN DEVM BENEFICENTIA IN PAVPERES
ILLVSTRIS
VIXIT ANN. LXXV P. M
OBIIT XVI K. MAIAS AN. MDCCCXV
CAESAR CASTALDIVS PATRVO OPTVMO P.

(CXII) *Onuphrio Gargiullio ponenda.*

ONVPHRIVS GARGIVLLIVS SVRRENTI NATVS
NEAPOLI AB AETATE PRIMA INSTITVTVS
LIBERALIBVS DISCIPLINIS DOCTISQVE LINGVIS
TANTAM CITO GLORIAM ADEPTVS EST
VT GRAECAS LITTERAS
PAENE ADOLESCENS IN LYCEO SALERNITANO
DEINDE IN NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO
PVBLICO CVM PLAVSV DOCVERIT
DEMVM INTER HISTORIAE ATQVE ANTIQVITATVM
ACADEMIAE SOCIOS COOPTATVS
PATRIIS ANTIQVITATIBVS ILLVSTRANDIS
SVMMOPERE INCVMBVIT
VIXIT ANN. LXVI MENS. III DIES X
DECESSIT IV NON. MART. AN. MDCCCXV
DE LITTERIS BENE MERITO VINCENTIVS GARGIVLLIVS P.

(CXIII) *Mugnani in provincia Campaniae.*

SALVATOR DE LVCIA BARTHOLOMAEI F
ORDINIS VTRIVSQVE SICILIAE EQVES
NOLAE PRIMVM IN CLERICORVM SEMINARIO
THEOLOGIAE PROFESSOR DEIN CANONICVS
THESAVRARIVS
TANDEM CARINVLENSIVM EPISCOPVS
DOCTRINA PIETATE BENEFICENTIA
PRIMAEVOS ECCLESIAE PONTIFICES AEMVLATVS
ANNOS VIXIT LXIV SEDIT XVII
OBIIT NEAPOLI III K. MART. AN. MDCCCXIV
ANDREAS EPISCOPVS CALENVS
FRATRI CARISS. CENOTAPHIVM LVGENS P
HONORIS VIRTVTISQVE CAVSSA LOCO PVBLICE DATO

(CXIV) *Ibidem.*

ANDREAS BARTHOLOMAEI F. DE LVCIA
ORDINIS VTR. SIC. EQVES COMMENDATARIVS
CALENORVM PONTIFEX
IN EXPEDIENDIS GRAVIORIBVS REGNI NEGOTIIS
REGI FERDINANDO I CIVIBVSQVE ITA SE PROBAVIT
VT MALI NON ODERINT IMPENSE COLVERINT BONI
VIXIT ANN. LXXXVII SEDIT XXXVII
DECESSIT NEAPOLI PRIDIE K. MART. AN. MDCCCXXIX

(CXV) *Neapoli in archisodalitio SS. Crucis.*

NICOLAVS CARACCIOLVS
EX PECTORANENSIVM PRINCIPIBVS ET S. AGAPITI
MARCHIONIBVS
IN EXERCITV NEAPOLIT. TRIBVNVS MILITVM
RELIGIONIS INTEGRITATIS INNOCENTIAE
EFFVSAEQVE IN EGENOS LARGITATIS
EXEMPLIS OPPORTVNISSIMO TEMPORE EDITIS
NVNQVAM SANE INTERITVRIS
VIXIT ANN. LXVI MENS II DIES XIX
OCCVBVIT XIV K. FEBR. ANN. MDCCCV
ET VTI MANDAVIT HEIC CONDITVS EST

(CXVI) *In oppido Grimaldi prope Consentiam.*

BRVNONI AMANTHAEAE
DOMO GRIMALDO IN BRVTIIS
QVI IN ARCHIGYMNASIO NEAPOLIT. ANATOMIAM
NOVA METHODO DOCVIT
CHIRVRGIAM VERO PROFESSVS
IN MORBIS DIFFICILIORIBVS CVRANDIS
DEXTERITATE VSVS EST ET FELICITATE ADMIRABILI
AEGROTANTIBVS NVNQVAM DESIDERATVS
PAVPERIBVS PRAESERTIM
QVOS NESCIRES OPERA MAGIS AN LIBERALITATE
SVBLEVARET
ATQVE HVIC EFFVSAE BENIGNITATI
NVLLVM IN VITA MODVM FECIT
MAXIMAM PECVNIAE VIM CALAMITOSIS GENVS OMNE
BRVTIAE PRAECIPVE IVVENTVTI
NEAPOLIM AD MEDICINAM AVT CHIRVRGIAM DISCENDAM
PROFECTAE VLTRO ELARGITVS
VIXIT ANN. LXVIII M. XI D. V
DECESSIT III NON. IVL. AN. MDCCCXIX
ET LVCTV PROPE PVBLICO ELATVS
DVM VIXIT BRVNO VELVT ARTIS ET AERIS IN OMNES
SIC FVIT ET VITAE PRODIGVS IPSE SVAE

CXVII.

ELISABETHA CAPASSA
CAROLI CASTALDII V. I. D. VXOR
SEDVLA IN INSTITVENDIS NATIS DISCIPLINA
PROLIXA IN EGENOS LARGITATE
DEXTERITATE IN REBVS AGENDIS CLARISS.
VIXIT ANN. LXXXVI
DECESSIT POSTRID. ID. APR. AN. MDCCLXXVII

CXVIII.

NICOLAVS CASTALDIVS CAROLI V. I. D. FIL
VIR HONESTISSIMVS INTEGERRIMVSQVE
FIDE TACITVRNITATE CONSILIO PRAESTANS
LIBERIS AD PIETATEM RECTOSQVE MORES INFORMATIS
ANNO LXVI AETATIS SVAE
DESIDERATVS EST XI K. SEPTEMBR. AN. MDCCXC

CXIX.

CAROLO CASTALDIO NICOLAI F. SACERDOTI
NEAPOLI REGII PAVPERVM HOSPITII
SVB TITVLO S. FRANCISCI SALESII
XXIV ANNIS PRAEPOSITO
INTEGRITATE PRVDENTIA LIBERALITATE
MAXIMI HABITO
VIXIT ANN. LXVI M. III D. XX
RAPTVS VIII K. MAI AN. MDCCCXXXVI

CXX.

FRANCISCVS ANT. CASTALDIVS CAROLI V. I. D. FIL
SACERDOS PIETATIS INGENVAE CVLTOR
CVPIDVS LATENDI FIDEI TENACISSIMVS
INVICTA STVDIORVM PATIENTIA
AD VIRTVTEM COMPARATVS
VIX. ANN. LXXVII OBIIT AN. MDCCXCV VI. ID SEXT.

CXXI.

ANNA CAROLI CASTALDII V. I. D. FIL.
FEMINA LEPIDISS.
CASTIMONIAE AC PIETATIS IN DEVM EXIMIAE
HVMANITATIS IN CONSANGVINEOS SINGVLARIS
VIX. ANN. LXXIII OBIIT VI. ID. MART. AN. MDCCXCVI
IOSEPHVS BLANDITIARVM AMITAE MEMOR
HOC LONGE IMPAR MONIMENTVM P.

(CXXII) *Neapoli apud aedem Deiparae Virginum.*

ANGELAE CIMINIAE
IN RE DOMESTICA CVRANDA LIBERISQVE EDVCANDIS
MATRIFAMILIAS OPTIMAE
· VIXIT ANN. LXXVI M. XI D. VI
DECESSIT VI K. SEPTEMBR. AN. MDCCCXXII
CAROLVS IOSEPHVS ET IANVARIVS CASTALDII
FILII MOERENTISSIMI PP.
QVOD PVERI RAPTO FVIMVS TVA CVRA PARENTE
DEBEMVS TIBI SI QVID SVMVS AVT ERIMVS

(CXXIII) *Ibidem in templo D. Restitutae.*

NICOLAO CIAMPITTIO
ECCLESIAE NEAPOLIT. CANONICO
IN REGIO ARCHIGYMNASIO ELOQVENTIAE PROFESSORI
FIDE RELIGIONE MORVM ELEGANTIA
ET SVMMA IN REBVS AGENDIS SEDVLITATE
CVM PAVCIS COMPARANDO
LITTERARVM GRAECARVM ET LATINARVM
VNI OMNIVM DOCTISSIMO
VIXIT ANN. LXXXII M. XI D. VII
OBIIT X K. SEPT. AN. MDCCCXXXII
IOSEPHVS CASTALDIVS
NEAPOLI IN M. C. APPELLATIONVM XXVIIVIR
ET XXVIR ACADEMIAE HERCVLANENSIS
PRAECEPTORI SVO DE SE OPTIME MERITO M. P.
CANONICI LOCVM DEDERVNT

(CXXIV) *Magdaluni.*

HEIC SITVS EST
ALEXANDER MAVRVS MICHAELIS ANGELI F
PVER LEPORE AC VENVSTATE AFFLVENS
VEL ALIENIS CARISSIMVS
VIXIT AN. I. MENS. XI DIES XII
PRAEREPTVS PRID. NON. IVL. AN. MDCCCXXIII
PATER DOLENTISSIMVS CONTRA VOTVM P.

(CXXV) *Caietano Stellatio ponenda.*

MEMORIAE CAIETANI STELLATII
SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI
ET ECCLESIAE S. MARIAE VIRGINVM CVRIONIS
QVEM
MVLTIPLEX SACRARVM LITTERARVM SCIENTIA
ET FACVNDIAE ROBVR
SVMMIS ORATORIBVS AEQVAVIT
VIX. ANN. LXX DECESSIT III. K. MAI AN. MDCCCXXXI

(CXXVI) *Neapoli in archisodalitio Peregrinorum.*

ANTONIO ANTINOLFO
PIETATE IN DEVM IN EGENOS BENEFICENTIA
CLARISSIMO
QVOD HVIC NOSOCOMIO DVCATORVM XI MILLIA
SVAE HEREDITATIS QVADRANTEM
TESTAMENTO LEGAVERIT
PRAEFECTI ARCHISODALITIO SS. TRINITATIS
PEREGRINORVM
SODALI BENEMERENTISSIMO PP
OBIIT IDIB. SEPT. AN. MDCCCXXI

(CXXVII) *Angelo de Spenis ponenda Fractae majoris.*

ANGELO DE SPENIS IOANNIS ANDREAE
ET THERESIAE CIMINIAE
EX DYNASTIS OPPIDI CONSENTINORVM IN LVCANIA F
A CLARA GENTE NEAPOLITANA
HVC SAECVLO XVI TRANSLATA
QVI FLORENTE ADHVC AETATE AMISSA VXORE
ANNA IOCCIA E NOBILI FAMILIA CAMPANA
IN PROLE EDVCANDA SOLERTISSIME INCVBVIT
SINGVLARI PRAEDITVS MODESTIA
NVMQVAM PRAEPOSVIT SE ALIIS
BENEFICIISQVE VEL IMMERENTES ORNAVIT
IN SVMMA REI ALIMENTARIAE CARITATE EGENOS
TANTA LARGITATE EXCEPIT VT VICTV VESTITV
ALIISQVE AD VITAE COMMODA QVOTIDIE PRAEBITIS
PATER PAVPERVM VVLGO AVDIRET
VIXIT ANN. LXI M. IV D. XI
OCCVBVIT POSTRID. K. DECEMBR. AN. MDCCCXXVI
FILII PARENTI OPTIMO PP

(CXXVIII) *Francisco Xaverio de Rogatis ponendu.*

FRANCISCVS XAVERIVS DE ROGATIS
BALNEOLI IN REGIONE HIRPINA NATVS
ROMAE AB AETATE PRIMA DEINDE NEAPOLI
DOCTIS LINGVIS POESI ET IVRISPRVDENTIA
INSTITVTVS
ADHVC ADOLESCENS MAGNAM INGENII ADMIRATIONEM
EXCIVIT
IN CONDENDIS VERO ETRVSCIS CARMINIBVS
ET PRAESERTIM E GRAECO ITALICIS MODIS REDDENDO
TEI SENIS POEMATA
CVLTV ELEGANTIA NITORE ADEO PRAESTITIT
VT PER TOTAM FERE EVROPAM
ITALVS ANACREON MERITO HABERETVR
NEAPOLI FISCI PATRONVS PVBLICI CVRSVS
CATACII REGIVS AVDITOR ET AVDITORII AVLAE
PRAEPOSITVS
PROVINCIAE PRAEFECTVS
HERCVLANENSIS ACADEMIAE SOCIVS
XXIIVIR SVPREMAE CVRIAE IVDICIOR. INDVCENDORVM
EIVSDEMQVE PRO-PRAESES HONORARIVS
CONDITOR NOVI CODICIS PRO PLECTENDIS MILITVM
CRIMINIBVS
IN PERTRACTANDIS PVBLICIS NEGOTIIS
SAPIENTIA DEXTERITATE ABSTINENTIA EXIMIVS
VIXIT ANN. LXXXII MENS. VII
HONESTA MISSIONE DONATVS
OCCVBVIT V ID. AVG. AN. MDCCCXXVII
VIRO DE RE LITTERARIA ET CIVILI OPTIME MERITO M.

(CXXIX) *Neapoli in sodalitio S. Andreae Apost.*

BARTHOLOMAEO VVOLO
NICOLAI IN REGIO DAVNIAE AVDITORIO FISCI
PATRONI F
ILLVSTRIORIBVS PROVINCIARVM MVNERIBVS RITE OBITIS
PRIMVM NEAP. IN M. CVRIA FACINOROSIS PLECTENDIS
DEIN XXVIIVIR IN M. C. APPELLATIONVM
ET VIVIR PERDVELLIBVS DAMNANDIS SEDIT
VIXIT ANN. LXVIII P. M
RAPTVS EST VXORI ET FILIIS AN. MDCCCXXVIII
ANNA MARIA ROGERIA DESOLATA CONIVX P.

(CXXX) *Butunti.*

MEMORIAE IOANNIS DEGNI V. I. D
PIETATE IN DEVM PATROCINIO IN EGENOS EXIMII
QVI PVBLICIS MVNERIBVS
SINGVLARI ABSTINENTIA ATQVE INTEGRITATE
EXERCITIS
LIBERISQVE RITE INSTITVTIS
PATERFAMILIAS OPTIMVS
AVITIS AEDIBVS ADIACENTEM DOMVM
ET GENTILITIVM SACELLVM ADDIDIT
VIXIT ANN. LXXIII MENS. II DIES IV
DECESSIT VII NON. IAN. AN. MDCCCXXXII
PARENTI BENEMERENTISS. FILII PP.

(CXXXI) *Puteolis.*

IOANNI BAPTISTAE PERGOLESIO
DOMO AESI
QVI AB AETATE PRIMA
NEAPOLIM MVSICAE ADDISCENDAE STVDIO CONCEDENS
IN COLLEGIVM SVB TITVLO PAVPERVM I. CHRISTI
ADSCITVS
MVSICIS FACIENDIS MODIS
SVOS INTER AEQVALES LONGE PRAESTITIT
PVTEOLIS DECESSIT XVII K. APR. AN. MDCCXXXVI
QVO VALETVDINIS CAVSSA SECESSERAT
VIXIT ANN. XXVI MENS. II DIES XIII
DOMINICVS CORIGLIANVS
EX MARCHIONIB. RIGNANI EQVES HIEROSOLYMIT
NE CLARISS. VIRI MEMORIA INTERCIDERET M. P
CAROLO ROSINIO EPISCOPO PVTEOL. ANNVENTE

(CXXXII) *Pithecusae.*

IOANNI ANGELO PATALANO
SACERDOTI INTEGERRIMO
CIVI EGREGIO PATRI PAVPERVM
QVI
FLEBILIS AMICORVM AC EGENORVM
MVLTITVDINI FLEBILIOR
PERIIT XVI K. FEBR. AN. MDCCCXVI
VIXIT ANN. LXVII M. V D. XXI
HYACINTHVS MATTHIAS ET ALOYSIVS
PATRVO OPTIMO PP.

(CXXXIII) *Potentiae.*

IANVS VINCENTIVS POMARICIVS
HIC SITVS EST
ANTII IN LVCANIA ORTVS POTENTIAM TRANSLATVS
VETERVM MONVMENTORVM DEFOSSIONIBVS LVCANIAE
PRAEFECTVS
CIVITATIS ET REGIONIS NEOCASTRENSIS PRAEPOSITVS
MILITVM PROVINCIALIVM QVAESTIONIBVS IVDICANDIS
IVVIR IN PROVINCIA LVCANIAE ADMINISTRANDA
VIVIR M. C. FACINOROSIS PLECTENDIS IN EAD. PROV
MOX REGIS PROCVRATOR DENIQVE PRAESES
PERACTA PER DAVNIAM PEVCETIAM ET MESSAPIAM
MISSIONE
AD IVDICIA CAPITALIA SVMMATIM EXPEDIENDA
OB INGRAVESCENTEM AETATEM RVDE DONATVS
INTEGRITATE ATQVE ABSTINENTIA
OMNIVM ORDINVM CIVIBVS SE PROBAVIT
VIXIT ANN. LXXII P. M
E VIVIS SVBLATVS AN. MDCCCXXX
ROSA DE ASMVNDIS FRANCISCVS PAVLVS IOSEPH
ET IOACHIM
VIRO ET PATRI AMANTISSIMO
IN HOC SACELLO DEIPARAE DICATO
PROPE CONDITORIVM MARIAE THERESIAE FILIAE
VTI IVSSIT CVM LACRYMIS PP.

(CXXXIV) *Pomiliani de Arcu.*

ALOYSIA SOLARA PASCHALIS F
PIETATE BENEFICENTIA MORIBVSQVE INSIGNIS
FLVXA ET CADVCA OMNIA REPVTANS
ORDINI MONIALIVM
EVCHARISTIAE SACRAMENTVM DIV NOCTVQVE
ADORANTIVM
LIBENTISSIME NOMEN DEDIT
QVAM OMNIVM AEQVALIVM LAVDES SVPERGRESSAM
SIBI CAELESTES VIRGINES FLORENTI AETATE SVA
SOCIAM OPTAVERE
VIXIT ANN. XIX M. I D. XVI
OCCVBVIT IX K. IVL. AN. MDCCCXXXIV
PARENTES CVM LACRYMIS CONTRA VOTVM PP
AVE ET VALE ANIMA INNOCENTISSIMA

(CXXXV) *Ad Divi Nicolai de Caserta Neapoli.*

NICOLAVS GIANNELLIVS
DOMO CALATIA
IN REGIO NEAPOLIT. ARCHIGYMNASIO
MEDICINAE PROFESSOR
VIXIT ANN. LXXIII M. VII D. VIII
DOCTRINA ET MORVM INTEGRITATE
CARVS OMNIBVS PRAECIPVE EGENIS
QVIBVS GRATVITA NVNQVAM OPERA DEFVIT
DECESSIT XV K. MAI AN. MDCCCIX
DOMINICVS FILIVS
NEAPOLI IN M. C. APPELLATIONVM XXVIIVIR
PARENTI OPTIMO LVGENS P.

(CXXXVI) *Calatiae.*

NICOLAO GIANNELLIO
NEAPOLI IN REGIA STVDIORVM VNIVERSITATE
MEDICINAE PROFESSORI
QVI
VI INGENII SVI OMNIBVS PROBATA
NATVS ANNOS LXXIII M. VII D. VIII
OBIIT XV K. MAI AN. MDCCCIX
ET IN TEMPLO D. NICOLAI DE CASERTA SEPVLTVS EST
DOMINICVS FIL. IN M. C. NEAPOLITANA XXVIIVIR
POSITO IBI MONVMENTO
NE PATERNAE VIRTVTIS EXEMPLAR POSTERIS
IMITANDVM
CONTERRANEIS DEESSET
CENOTAPHIVM HEIC ERIGENDVM CVRAVIT

(CXXXVII) *Termulis.*

HEIC IN PACE QVIESCIT
CONCEPTA QVICIA
BERNARDI BRIGIDAE VXOR
VIRI DELICIVM PATRIAE ORNAMENTVM
MATRONARVM DECVS
IN LIBERIS EDVCANDIS MATERFAMILIAS OPTIMA
EADEMQVE ALTRIX PERPETVA EGENTIVM
QVAE RARISSIMO EXEMPLO DVORVM FILIORVM
INTERFECTORI
LIBENTER PEPERCIT
VIXIT ANN. LXXXIII M. VIII D. XX
OCCVBVIT V ID. IAN. AN. MDCCCXXXIV
NICOLETTA MATRI CARISS. CVM LACRYMIS P.

(CXXXVIII) *Fractae majoris in asceteriarum collegio.*

MICHAEL ARCHANGELVS LVPOLVS
INGENII MORVMQVE PRAESTANTIA CLARISSIMVS
VNA DIVINARVM HVMANARVMQVE SCIENTIARVM
COMMENDATIONE
SVMMIS HONORIBVS OCCVPATIS
ECCLESIIS MONTEPELVSIANA ET COMPSANA
PROVIDENTISSIME GVBERNATIS
AD SALERNITANAM CATHEDRAM EVECTVS
IN SEVERIORI CLERI DISCIPLINA PROMOVENDA
RELIGIONIS CVLTV AVGENDO
IVVENTVTE ECCLESIAE MANCIPATA INSTITVENDA
PAVPERIBVSQVE SVBLEVANDIS
ILLVSTRIORVM RETRO ANTISTITVM GLORIAM
AEMVLATVS
VIXIT ANNOS LXVIII M. X D. VI
NEAPOLI OBIIT V K. AVG. AN. MDCCCXXXIV
SOSIVS ECCLESIAE FRACTENSIS PAROCHVS
FRATRI AMANTISSIMO PONENDVM CVRAVIT

(CXXXIX) *Salerni.*

MICHAELI ARCHANGELO LVPOLO
CVM BEATIORIS AEVI PRAESVLIBVS COMPARANDO
QVI
HVMANAS DIVINASQVE DOCTRINAS
AB IPSA ADOLESCENTIA INCREDIBILI ANIMI ARDORE
PROSECVTVS
MAGNAM SVI NOMINIS EXISTIMATIONEM
EDITIS VOLVMINIBVS DOCTIS LABORIOSISQVE
MAXIMOPERE AMPLIFICAVIT
MONTISPELVSIANAE DEIN COMPSANAE ECCLESIIS
ANTISTES PRAEFECTVS
SALERNITANORVM DENIQVE PONTIFEX
CONSTABILITA CLERI DISCIPLINA
BONISQVE ARTIBVS IN CLERICORVM SEMINARIA
LABORE INGENTIQVE SVMPTV REVOCATIS
EGREGIAM SVI RECORDATIONEM APVD OMNES RELIQVIT
VIXIT ANN. LXVII M. X D. VI
DECESSIT V K. AVG. AN. MDCCCXXXIV
IOSEPHVS PATRVO DE SE OPTIME MERITO P.

(CXL) *Consentiae.*

HEIC IN PACE QVIESCVNT
THOMAS BOMBINIVS PATRICIVS CONSENTINVS
ET VRSVLA CASTILLIONEA E GENTE MAVRELLIORVM
CLARISSIMA
FIDISSIMI CONIVGES
IN EDVCANDIS AD VIRTVTEM LIBERIS SOLERTISSIMI
PIETATE IN DEVM
MORVM INTEGRITATE PRAESTANTES
QVORVM LAVS SINGVLARIS FVIT
SOLATIVM ADFLICTO NEGASSE NEMINI
PRAESENTEM MISERIS OPEM TVLISSE OMNIBVS
INTERIIT THOMAS VIII K. FEBR. AN. MDCCLXX
VRSVLA OCCVBVIT III ID. MAI AN. MDCCCXVI
PARENTIBVS OPT. GERMANI FRATRES CONIVNCTISSIMI
FRANCISCVS ET MICHAEL EPISC. CASSANEN
CONSENTINAE ACADEM. PERPETVO A SECRETIS PP.

(CXLI) *Josepho Capycio-Latro ponenda.*

IOSEPHO CAPYCIO LATRO
OLIM TARENTINORVM ARCHIEPISCOPO
THEOLOGIAE PHILOLOGIAE
OMNISQVE DIVINI HVMANIQVE IVRIS SCIENTIA
TRADITIS POSTERITATI SCRIPTIS CLARISSIMO
VIRO AD OMNES DIGNITATES HONORESQVE FACTO
ET DE BONARVM ARTIVM GLORIA OPTIME MERITO
VIXIT ANN. LXXXXII M. I D. X
FATIS CESSIT POSTRID. K. NOV. AN. MDCCCXXXVI

(CXLII) *Neapoli ad Divae Theresiae.*

SACELLVM CVM SEPVLCRO
IVRE PATRONATVS FAMILIAE CICCARELLAE
DYNASTES FRANCISCVS CICCARELLVS
EQVES REGALIS ORDINIS FRANCISCI I
PVBLICAE VTRIVSQVE SICILIAE MENSAE PRAESES
ELEGANTIVS INSTAVRAVIT AN. MDCCCXXXVI
VTQVE SVI SVORVMQVE CINERES VNA QVIESCERENT
MATRIS ET VXORIS OSSA
HVC E CASERTA TRANSTVLIT

(CXLIII) *Ibidem.*

MEMORIAE AETERNAE
MARIAE CAIETANAE DE LVCA
IOANNIS BAPTISTAE CICCARELLI
IN EXERCITV NEAP. PROTRIBVNI MILITVM VXORIS
IN VIDVITATE RELICTAE
LIBERORVM EDVCATIONE REIQ. FAMILIARIS CVRA
DILIGENTISSIMAE
QVAE DVM CASERTAE CVM FILIO NVRV ET NEPOTIBVS
MORABATVR
INOPINATA CRVRIS FRACTVRA CONFECTA
DECESSIT PRID. K. DEC. AN. MDCCCXXXIII
VIXIT ANN. LXXXI M. IX D. VIII
DYNASTES FRANCISCVS CICCARELLVS PARENTI OPT. P.

(CXLIV) *Ibidem.*

HEIC SITA EST
HENRICA HINGGINSIA MATTHAEI FIL
IN WEST MEATHENSI HIBERNIAE COMITATV ORTA
FORMA DIGNITATE IN EGENOS MVNIFICENTIA
MATRONA AETATIS SVAE PRAESTANTISSIMA
DIVTVRNI VIM MORBI STRENVE PERPESSA
TRIBVS RELICTIS FILIIS
CASERTAE DVM IN VILLA SVBVRBANA RVSTICABATVR
OBIIT IV K. NOV. AN. MDCCCXXXV
VIXIT ANN. XXVII M. X D. XV
DYNASTES FRANCISCVS CICCARELLVS
CONIVGI SVAVISSIMAE CONTRA VOTVM P.

(CXLV) *Ibidem in aede Deiparae nuncupatae de fletu.*

MARIAE IOSEPHAE CARACCIOLAE
EX MARCHIONIBVS CAPRILIAE
PERPETVA MANSVETVDINE MORVM ELEGANTIA
ET PRVDENTIA SINGVLARI
INCOMPARABILI RARISSIMIQVE EXEMPLI FEMINAE
QVAE SIBI PARCISSIMA IN EGENOS MVNIFICA
VIXIT ANN. LXX M. IV D. XII
MORBIS ACERBISSIMIS ET DIVTVRNIS AFFLICTA
OPTIMAM CONSOLATIONEM
IN RE DIVINA COLENDA EXPERTA EST
OBIIT IV K. MART. AN. MDCCCXXXVIII
CAROLVS ANTONIVS DE ROSA MARCHIO VILLAEROSAE
ET FILII
VXORI ET MATRI BENEMERENTISS. CVM LACRYMIS PP.
TEMPLI CVRATORES LOCVM DEDERVNT

(CXLVI) *Pro Aloysio Jannutio Sabellio.*

ALOYSIVS IANNVTIVS SABELLIVS HERCVLIS ET IOANNAE THYLESIAE CERENTHIAE PRINCIPVM F. EX ILLVSTRI ROMANA GENTE PLVRIBVS ABHINC SAECVLIS IN BRVTIOS TRANSLATA ORTVS QVI INDOLEM NATVRA PRAESTANTEM SORTITVS ROMAM PETIIT ADOLESCENTVLVS ET IN COLLEGIO NAZARENO LITTERARVM SCIENTIARVMQ. STVDIO MAXIMOPERE INCVBVIT EAS EDOCTVS AC IN PATRIAM REDVX MILITIAE NOMEN DEDIT ET ADHVC IVVENIS CENTVRIO IN EXERCITV NEAPOLIT. CAVSARIA MISSIONE OBTENTA ADVOCATORVM ALBO ADSCRIBI MALVIT IN CAVSSIS AGENDIS IVRISQ. INTERPRETATIONE ADEO ENITVIT VT STATIM IVVIR STLITIBVS IVDICANDIS MOX REGIS PROCVRATOR APVD IVVIROS POSTREMO NEAPOLI XXVIIVIR M. C. APPELLATIONVM FVERIT QVIBVS IN MVNERIBVS REGI CIVIBVSQ. SE PROBAVIT NON MODO SVMMA FIDE IVSTITIA ABSTINENTIA DOCTRINA ET DEXTERITATE SED RELIGIONIS CVLTV ET COMITATE IN OMNES SINGVLARI AT IN MEDIO EGREGIORVM FACINORVM DVM AD SVMMOS HONORES PROPERABAT IMMATVRA MORTE SVBLATVS PRIDIE K. SEPTEMBR. AN. MDCCCXXXV NATVS ANNOS P. M. LIV ELATVS SOLEMNIBVS EXEQVIIS COMITANTIBVS CONLEGIS DEFLENTIBVS PATRIAE IACTVRAM OMNIBVS BONIS.

CARMINA.

In academia poëtica habita anno MDCCXCVI
in templo D. Ludovici ante regias aedes

ELEGIA.

Vix placidam fuscus noctem velarat amictus,
  Sparserat et pigra lumina somnus aqua;
Tristia cum subeunt, tulerit quae damna poësis,
  Quae docuit Veneris turpia castra sequi.
Hinc hominum pravi mores, et jurgia dira,
  Hinc omnis curae semina sollicitae;
Eversaeque urbes, incendia, vulnera, caedes,
  Ruptaque fraternae vincula amicitiae.
Quid juvat aonios, dixi, lustrare recessus,
  Pieridumque sacros inter adesse choros?
Musa vale, Pindi colles, fontesque valete,
  Prava poëtarum diraque turba vale.
Noscere sanctarum mens est penetralia legum,
  Scriptaque ab antiqua jura verenda manu.
Haec mihi volventi cithara subnixus eburna
  Adstat, et hos Phoebus mittit ab ore sonos.
Quis furor, o juvenis, quae te dementia coepit?
  Cur mea sacrilego despicis ore sacra.
Ergone potorem vinum quod torqueat, atra
  Idcirco vitis falce secanda foret?
Quodque quis ardentem templis admoverit ignem,
  Ignis ab humanis usibus exul erit?
Si vates foedant mores, non dixeris esse
  Artis, at artificum crimina sola puta.
Musa dedit summas divorum dicere laudes,
  Musa dedit claros dicere posse viros.
Praemia musa dabit docto donata labori,
  Musa dabit longa posteritate frui:

Carmina Virgilius, panxit sua carmina Flaccus:
  Abstulit aeternas alter, et alter opes.
Eja age Parnassi culmen conscende bicornis,
  Alitibus faustis ad mea sacra redi.
Dixit, et aurato tetigit mea tempora plectro:
  Hic torpens toto pectore somnus abit.

In nuptiis Mariae Clementinae Austriacae *cum* Francisco Borbonio *Principe iuventutis*

CARMEN.

Edita caesareo pulcherrima sanguine virgo,
Expectata veni. Quid, Clementina, moraris?
Haud dominam accipiet duri te regia Daci;
Itala regna manent: te nostri gloria regni
Franciscus repetit, repetunt te publica vota.
Omine dum laeto nobis plaudentibus urbem
Ingrederis, Siren te vocibus hisce salutat:
O decus Austriacum, Sebethi gloria salve,
Te regnante metus fugit omnis, et aurea rursus
Se mihi regnatis ostendunt saecula terris.
Te vero, Francisce, sonis Borbonius heros
His avus adloquitur, quem tempora nulla silebunt:
Occulto, juvenis, sensim qui attoleris aevo,
Arbor uti crescit ripae Sebethidos alma,
Macte animi virtute, meique simillimus esto:
Ingenuae per te vigeant artes, tibi curae
Sit prior haec, agitentque tuis commercia cives
Laeta sub auspiciis, fractoque licentia cornu
Audeat in vetitum frustra sine lege vagari.
Patris ad exemplum mea si in vestigia curres
Quae te regna manent tutus laetusque beabis.

De praecipuis artis musicae professoribus e schola neapolitana

ELEGIA.

Qua circum viridi pulcherrima Mergellina
  Se ostentat refluis vertice litoribus,
Gaudebam, Zephyri dum spirat gratior aura,
  Tempus Apollineis fallere imaginibus.
Cur te, Parthenope, Sirenis nomine vates
  Donarint tacita quaerere mente libet,
Et reor a blandis nomen Sirenibus ortum,
  Queis tribuit voces fabula flexanimes.
Nam blandae voces tibi sunt, blandissima Syren,
  Secessus, montes, flumina, stagna, lacus,
Et qui te vitreis lambit pulcherrimus undis
  Crater, cui nullus praestat in orbe sinus.
Hic se Sebethi placide, leviterque fluentis,
  Et Miseni oculis sistit imago meis.
Hic mens ad Bajas jam percurrebat amoenas;
  Pausilipi inspectis collibus, atque jugis;
Cum sensim placido tetigit mea lumina rore
  Languida qui recreat membra sopore Deus.
Cum neque dormirem, neque sat vigilare viderer,
  Caesareus vates visus adesse mihi:
Libera caesaries illi per colla fluebat,
  Splendebat roseo plurimus ore nitor.
Gestabat manibus plectrum, pedibusque cothurnos,
  Ornabat humeros palla, corona caput.
Ut video, agnosco mihi jam, mihi, maxime vatum,
  Dicere conabar commodus ecce venis;
Dulcius, an gravius, nescirem, pectore voces
  Has dedit ille mihi, quas meminisse juvat.
Gratulor, o juvenum confidentissime, laudes
  Te in patrias nervos tendere velle tuos:

At quod Parthenopi Sirenis nomen inhaeret
  Non venit a saxis, fluminibusque suis.
A' cycnis ortum duxit, quos tempore nullo
  Non fovit blando terra beata sinu.
Quae incertis visa est errare volatibus olim,
  Constitit huc certo turba canora pede (1).
Cum duce Gaynero, Gaffurio, Tinctorioque (2)
  Accepit certum musica nostra modum.
Incoeptum perfecit opus qui Lassius artis
  Armonicae quatuor vidit in urbe domos (3).
Nobilis hinc orta est Scarlatti gratia, quaeque
  Prima aures mulcet vis, animosque rapit (4).
Si fas vera loqui mea carmina forte videntur
  Currentes stimulis sollicitasse novis (5).
Pinxi ego quam verbis naturam, voce sonoque
  Musicus expressit, nobiliorque fuit.
Quid memorem Caresanc (6) tuas, quid Purpura (7) dotes?
  Quid Sarri (8) tragicum magnificumque melos?
Quid Pergolesi (9), quid Vinci (10) nectere nitar
  Quae cingat laudum digna corona caput?
Spirat adhuc vivax Durantis (11) ab ossibus ignis,
  Te, Leo (12), nunc etiam nostra theatra sonant.
Duni (13), Jommelli (14), Sacchini (15), Caffàre (16), Fagi (17),
  Picinni (18), Arai (19), Manna (20), Latilla (21), Perez (22),
Palma (23), Finaroli (24), Trajetta (25), Insanguiue (26), Major (27),
  Cum sole, et luna nomina vestra manent.
Ut taceam reliquos, scelus est transire lepores
  Seu Paiselle (28) tuos, seu Cimarosa (29) tuos.
Hac Linus, hac Orpheus olim blandissimus arte
  Traxerunt silvas, perdomuere feras.
Est transire scelus quos Zingarellius (30) edit

Sublimi numeros ore, gravique sacros.
Divinas laudes his vates regius olim
Dixit, et irata sustulit arma Deo.
Hic fulget circum, veluti cum fulgurat aether:
Cum somno, si ausim dicere, visus abit.

---

(1) Ineunte XIII. saeculo, regnante Neapoli Friderico II. imperatore, eiusque filio Manfredo, ac deinde Roberto Andegavensi musicam, et poësim prae caeteris bonis artibus neapolitani coluerunt. Robertus in addiscenda musica usus est insigni praeceptore Marchettio in palatino sacello chori magistro, et Petrarchae coronam decrevit.

(2) Ferdinando I. Aragonensi rege musices schola primum instituta Neapoli videtur esse, eam dirigentibus summis viris Tinctorio, Garnerio, et Gaffurio, qui primi regulas discendae musicae typis ediderunt.

(3) Sub saeculi XVI. dimidium Orlandus Lassius in regio sacello chori magister nostros cives adeo incendit ad harmonicam artem colendam, ut brevi XXXV. annorum spatio quatuor musices collegia neapolitani suis expensis posuerint, quorum ope harmonia in hoc solo constitisse visa est. Isthaec collegia fuere *S. Maria Lauretana*, quod anno 1557. institutum est. *S. Onuphrius*, quod paulo post erectum fuit, *Pauperes Jesu Christi*, quod conditum fuit anno 1589., et *Pietas Turchinorum*, quod anno 1592. prodiit. Quatuor haec collegia in unum S. Petri ad Majellam nuper coaluerunt.

(4) Eques Alexander Scarlattius natus Neapoli anno 1650. ibidem obiit anno 1725. Grammaticam musicam primus omnium perfecit, et *contrapuncto*, quod dicitur, perspicuitatem, simplicemque nobilitatem largitus est. Harmonicae scholae neapolitanae antesignanus Scarlattius merito dici potest.

(5) Petrus Metastasius princeps italici dramatis, qui anno 1698. Romae ortus est, anno autem 1782. Vindobonae interiit, musicae theatralis augmento fundamenta jecit. Naturam enim, quam ipse carminibus pinxit, musici numeris imitati sunt, eoque duce, non aures mulcere magis, quam cor movere adlaborarunt.

(6) Christophorus Caresanus natus Neapoli anno 1655. cantibus simul junctis, quos Itali *duetti* vocant, exprimendis palmam caeteris praeripere visus est.

(7) Nicolaus Purpura natus Neapoli anno 1687., ibidem fatis cessit anno 1767. Harmoniam simpliciorem primus omnium reddidit.

(8) Dominicus Sarrus Neapoli ortum habuit anno 1688. Metastasii drammata musicis modis primus expressit. Anno enim 1715. pro theatro Taurinensi *Didonem* scripsit, et plausibus exceptus est.

(9) Joannes Baptista Pergolesius Æsii in ditione romana ortus anno 1710. adhuc puer Neapolim petiit musicae addiscendae gratia. Anno autem 1736. aetatis suae 26. Puteolis decessit. Naturam apprime imitatus lepore, ac venustate in *Serva domina* scatet; tragicus est in *Olympiade*, et in *Orpheo*; mirus in *Achille ad Scyrum*; gravis, sublimis, et incomparabilis in *Stabat Mater*. In numismate Romae cuso an. 1806. immortalitati nominis Pergolesii haec verba leguntur de musica *Stabat Mater*: *Mirificis Animos Docta Movere Modis*.

(10) Leonardus Vincius natus Neapoli anno 1690, ibique anno 1732. mortuus, in vi, ac vivacitate imaginum mirabilem se praestitit.

(11) Franciscus Durantius Grumi in Campania ortus anno 1693., Neapoli diem obiit supremum anno 1756. In firmandis tonis, ac modulationibus rite dirigendis claruit.

(12) Leonardus Leo natus Neapoli anno 1694., ibique e vivis sublatus anno 1756. in musica theatrali caeteros praeire visus est.

(13) Ægidius Romualdus Dunius Materae ortum habuit anno 1709., Neapoli periit anno 1775. Stylo naturali, ac vario mira feliciter arte usus est.

(14) Nicolaus Jommellius Aversae ortus anno 1714., Neapoli interiit anno 1774. Ariostus in arte videtur esse, et felicissime audax Pindaricos volatus aemulatur.

(15) Antonius Sacchinius, qui anno 1735. Neapoli natus est, Lutetiae Parisiorum anno 1786. decessit. Mellita dulcedine scatere visus est, et apud Gallos summo in honore fuit habitus.

(16) Paschalis Caffarus Lycii ortus anno 1706. singularem elegantiam prae se tulit.

(17) Nicolaus Fagus Tarenti natus anno 1692. tarantinusque dictus, in ecclesiastica musica claruit, et in tragico drammate *Eustachio* praecipue se ostendit.

(18) Nicolaus Piccinnius Barii ortum habuit anno 1728.

in oppido Pacii apud Lutetiam Parisiorum diem obiit supremum anno 1800. Collegio musico parisiensi praefectus iucunda singularique facilitate, ac novitate vivaci in scribendo, et docendo usus est. Parisienses omni officiorum genere, et publico monumento desiderium viri praestantissimi testatum voluerunt.

(19) Franciscus Araja natus Neapoli anno 1700, mortuusque Bononiae aetate admodum senescente, se mirabilem in Europa praestitit, fuitque in sacello imperiali Ruthenico chori magister.

(20) Januarius Manna Neapoli ortus anno 1721, ibique anno 1788. e vivis sublatus in ecclesiarum musica gravem, et mellitum se praebuit.

(21) Cajetanus Latilla natus Neapoli anno 1710. Venetiis decessit. In *contropuncto*, quod Itali vocant, nemini secundus esse visus est.

(22) David Perezius in lucem editus Neapoli anno 1711. in ecclesiastica praecipue musica summopere claruit. Responsoria defunctorum ab eo composita aeneis tabulis Loudini incisa cum ejusdem effigie edita sunt.

(23) Silvester Palma ortus Pithecusae anno 1751. theatrali musica emicuit, et praesertim in opere, cui titulus: *La pietra simpatica*. Fatis cessit Neapoli circiter annum 1808.

(24) Fidelis Finarolius ortum habuit Neapoli anno 1734. ibique occubuit anno 1812. Veterem gravitatem, majestatemque in musicis modis revocavit.

(25) Thomas Trajetta natus Neapoli anno 1738., ibique mortuus anno 1779. in patheticis describendis affectibus praecipue claruit.

(26) Jacobus Insanguine in lucem editus Monopoli anno 1745., ideoque *Monopoli* nuncupatus, periit Neapoli anno 1795. Praecipuum ejus opus *Calypsum* dixeris.

(27) Franciscus Major ortus Neapoli anno 1730. obiit Bataviae anno 1780. In animalium vocibus exprimendis mirum se praebuit.

(28) Eques Joannes Paisiellus tota Europa clarissimus in regio neapolitano sacello chori magister ortus Tarenti anno 1741. Neapoli decessit anno 1812. In musica jocosa aeque ac gravi caeteris palmam praeripere visus est.

(29) Dominicus Cimarosa natus Neapoli anno 1754. Venetiis diem obiit supremum anno 1801. Jocosus aeque ac gravis, scenica potissimum in re, phantasiam, ac mentem utique adloquitur.

(30) Eques Nicolaus Zingarellius ortum habuit Neapoli anno 1752. Collegio musico S. Petri ad Majellam praefectus in jocosis aeque, ac gravibus rebus ubique plausibus excipitur. In ecclesiastica tamen musica fuit praeclarissimus, cujus ingenio, et opera sacri Ecclesiae concentus nova gravitate, et majestate praestiterunt. Sibi parcissimus, in pauperes liberalis, morum sanctitate illustris decessit Neapoli anno 1837.

Ad Franciscum Danielium
Pro edito libro de Capuae numismatibus

ELEGIA.

Quid mihi divitiae, fumosaque signa parentum
Quaeque brevi tenebris obruet una dies?
Si bona virtuti praesto sunt omnia; merces
Ipsa sibi speruit quae leve vulgus amat.
Haec nobis sit fida comes, quae sola superstes
Effugit extremi tristia fata rogi.
Haec hominum fecit, Danieli, ut in ora venires,
Teque suum coleret docta juventa decus.
Namque velut stellas vincit sol aureus omnes,
Sic aliis praestas moribus, ingenio.
Te reor infantem gremio fovisse Minervam,
Te reor hanc primos erudiisse sonos.
Non secus ac laetum gnavo cultore novatum
Luxuriat spica fertiliore solum;
Cultum arte ingenium, quo te natura beavit,
Fructus doctrinae protulit omnigenae.
Jure Caserta suo tumefacta superbit alumno,
Non alio certe nomine nobilior.
Gesta per aetates ne me victura futuras
Impulsum nimio fingere amore putes;
Cladibus e Vesvi diris effossa, papyri,
Inscripti lapides, aera anaglypta monent.

Omnia corruptis, dubiisque notata figuris,
  Clara patent mentis sedulitate tuae.
Seu tu Trinacriae Regum monumenta recludis,
  Ævi seu medii condita gesta refers;
Vincere Mazochium, Pellegrinumque laboras,
  Vel parili serto frons tibi vincta nitet.
His accedat opus quod tandem proditur ingens,
  Ut Campanorum gloria major eat.
Hoc exegisti monumentum firmius aere,
  Hoc sublime tuum nomen ad astra feret.
Dum Capuae illustras nummos, vetera inspicis acta,
  In lucem profers numina, templa, viros.
Hoc opus ingenii scriptoris prodit acumen,
  Cui vix invenient tempora prisca parem.
Pallade formato quidquid procedit ab ore
  Doctrinam praefert, eloquiumque viri.
Haud opis est nostrae meritas percurrere laudes,
  Nam nostra inceptum mens cadit inter opus.
Tute tibi gratare, licet sors obstet iniqua,
  Nam tibi sunt animo cuncta reposta tuo.
Inde a te fama est quaesita, haud divite censu,
  Haud pretio ablatis vel prece muneribus.

In obitu Dominici Sansonis *XXIIviri m. Curiae Neapolit. iudiciorum inducendorum*

ELEGIA.

Quem charites fovere sinu, doctaeque sorores,
  Qui vixit nitidos, et sine labe dies;
Publica cui cives, privataque commoda debent,
  Quique bono patriae, non sibi natus erat;
Occidit: heu duro nihil inviolabile fato!
  Nil avidas retinet, impia Parca, manus.
Occidit, at, toti si flebilis occidit orbi,

Flebilior, Siren, occidit ille tibi.
Curia complorat, ceu raptum nata parentem,
Consiliis tanti jam viduata viri.
Pauca loquebatur; sed grandia. Roma, Catonem
Audisti plebem sic regere, atque patres.
Moesta gemit, sparsisque Themis per colla capillis
Contundit gemina pectus, et ora manu.
Quicquid erat sanctum, quicquid justumque, piumque
Sansoni dederat, nunc abiisse timet.
Quis melius leges, legumqne aenigmata novit?
Causidicus frustra necteret arte dolos.
Quis melius rexit lancem, quae dividit aequum?
Tam firmam potuit nil agitare manum.
Vis, furor, ira, metus, favor, ultio, gaudia, gazae,
Quaeque humana solent urere corda faces,
Sansonis numquam potuerunt frangere pectus,
Sansoni victas usque dedere manus.
Debilis a forti vexatur, divite pauper:
Hoc dis ac fortis judice victus abit.
Lex scelus absolvit, nihil est humanius illo,
Absolvit, natum mater ut innocuum.
Lex scelus insequitur, nulla est tutela scelestis,
Ingemit, at sceleri vincla, necemque parat.
Quid memorem quos ille catus sibi junxit amicos?
Quam sancte coluit foedus amicitiae?
Quid referam quam blandus erat, quam comis in omnes?
Quos inopes juvit, quotque, quibusque modis?
Serius haec terris virtus cum cedere posset
Invida cur subito frigore Parca feris?
Frigore Parca feris! fallor: tam vivida virtus
Non jaculo objicitur, invida Parca, tuo.
Fama triumphali vehit hanc, et gloria curru,
Te pudet, et manibus tela retusa cadunt.

In obitum equitis Nicolai Vallettae *poëtae ac in Neap. archigymnasio antecessoris*

ELEGIA.

Qui solvit legum nodos, et Apolline digna
 Ad citharam cecinit carmina blandus olor,
Occidit heu! Lachesis toties conata ferire
 Vallettam frustra, frigore nunc feriit:
Occidit, heu! corpus quod pridem corporis umbra
 Esse videbatur, fugit ut umbra levis.
Lugete o charites, doctae lugete sorores,
 Tranavit stygias vester alumnus aquas.
At vos prae reliquis juvenum lugete catervae,
 Occidit, heu! doctor, par cui nullus erat.
Quis posthac doceat tam blande, tamque facete,
 Alto quae servat corde reposta Themis?
Illius a labris ut puro a fonte fluebat
 Quid rectum, atque decens, fasq., nefasq. foret.
Quae personarum, quae sint discrimina rerum,
 Et qui acquirendi, lege jubente, modi;
Nunc meminisse piget, quae quondam habuisse juvabat,
 Quaeque ferox nobis Atropos eripuit.
Ploramus raptum, sed quid suspiria possunt?
 Hei mihi! defunctos nulla querela dabit.
Nulla querela dedit Socratem, magnumque Platonem,
 Nulla dedit Flaccum, nulla Marona dedit.
Tassus, Ariostus, Vicus, Gravina, Majellus,
 Actius, et Bembus pulvis, et umbra jacent.
Quid flentes querimur? fati est lex improba: summos
 Non secus, ac imos nox manet una viros.
Omne capax nomen movet urna, et faucibus orci
 Ad nostra ereptus littora nemo redit.

De obitu Caroli Mariae Rosinii *episcopi puteolani, qui e tumulo sui seminarii alumnos alloquitur*

ELEGIA.

Quem blandae fovere sinu, doctaeque sorores,
  Debuerat Pylios qui numerare dies,
Occidit: heu duro nihil inviolabile fato!
  Nilque tuas retinet, ferrea Parca, manus!
Occidit, ac toti si flebilis occidit urbi,
  Flebilior doctis occidit ille viris.
Pectore quisque sno suspiria ducit ab imo:
  Non est, qui lnctu temperet, et lacrymis.
Ingenuae lugent artes, splendorque tiarae,
  Eloquiique nitor, Grajugenumque chorus.
Haec ego dum lacrymor, se pandit imago Rosini,
  Atque hos e tumulo mittit ab ore sonos:
Quantum animos monitis studui formare paternis
  Assiduus, Jnvenes, volvite mente precor.
Qui virtutis honos, vitiis quae cura fugandis,
  Munia quae sacris sint obeunda viris.
Sunt quos voce juvat fervens miscere tribunal,
  Et Demosthenea tela vibrare manu:
Vos turma o juvenum Christi collecta sub armis,
  Militiae haud pigeat discere facta sacrae.
Vos videat Siren suetos discrimina rerum,
  Et varios casus me tolerare duce.
Nunc tempus sacris durare laboribus annos,
  Nunc operosa animos arte domare datur.
Ne qua tamen nostrum maneat jactura Lycaeum,
  Non defervescat quod modo fervet opus:
Ne saevo accipiter pavidas petat ungue colnmbas,
  Dum nequeo hostiles ipse cavere dolos;
Tu mihi, cara cohors, felicibus annue coeptis,
  Hinc Christi templo magna paranda seges.

Si meus electo pubescit semine campus,
Vobis centeno foenore fructus erit.

Ad virum egregium Prosperum de Rosa *ex marchionib. Villaerosae equitem Hierosolym. in XXIVvirum collegium de summis regni negotiis consultantium hoc anno 1839 cooptatum*

EPISTOLA.

Nil cupere, aut admirari, dulcissime Prosper,
Res est sola, animum facere, et servare beatum
Quae possit: curis, caecoque cupidine quippe
Liber non vanis in imaginibus stupet, ulla
Nec rerum capitur specie. Ne sit tamen inde,
Omnia qui temnenda putet male providus. Est qui
Praemia virtutis longe fugit: ambitione
Uritur ast alius misera: hunc culpabit, et illum
Qui recta ratione uti bene noverit. Est nam
Quid medium, licet usque huc tendere, nec datur ultra.
Haec incorruptus judex probat, haec etiam Tu
Qui sapis, et merito. Summa est: Ne quaerat honores,
Oblatos ne contemnat, quisquis bene sanus
Vult audire. Rogas, quo res haec pertinet? audi.
Ille tot a puero Ossorius (1) qui signa futurae
Virtutis manifesta dedit, volventibus annis
Praeceptam jam de se spem superavit, et auxit.
Hic recolas mecum Herculeae monumenta tot urbis
Illustrata viri curis, saxa, aera, papyros:

(1) Vincentius Calà Ossorius ex Villaenovae marchionibus, ecclesiae Neapolitanae canonicus, graece, latineque peritissimus ob doctrinam, morumque sanctitatem Surrentinorum archiepiscopus fuit renunciatus anno CIↃIↃCCCV.

Adde et de sacris conscripta volumina rebus,
Quaeque olim sera juvenis vigilata lucerna
Edidit aetatem ferre omnia digna perennem.
Atqui (quod mirere magis) non haec, sibi famam
Quo parerent, fecit: mentem nil concutit aequam
Fama, peregrinas quae extendat nomen in oras:
In se animus gaudet totus teres, atque rotundus.
Ambitione igitur nunquam cor tabuit illi,
Nec titulis inhians meritos quaesivit honores.
Si quisquam facit hoc, sapientem dixeris ultro.
At latuisse diu virtus nequit, abdita quamvis
Emicat : haec homini tantorum digna laborum
Praemia non quaesita dedit, summaque locavit
Relligionis in arce pedo, insignemque tiara.
Munera nunc animus sectari nescius, ultro
Collatos non est nihili facere ausus honores.
Cur? Non appetere haud est aversarier, et qui
Appetit, aeque insanit, ut aversatus. Id ergo
Illum etiam sanum bene praedicat. Adde quod (ipsi
Semper enim cordi fuit hoc, stimulusque juventae)
Vinea sic Domini propius colitur, meliusque,
Creditus interea populus rudimenta beata
Sorte potest meliore sibi sperare. Secundet
Omina laeta Deus. Nos, si gaudere alienis
Ingenui est incrementis, gratamur. At haec Te
Incrementa magis tangunt, carissime Prosper,
Cognita quem virtus tanto sociavit amico.
Non satis est igitur gratari, plura teneris.
Nos votis, precibusque Deum majora precamur;
Parvos parva decent. Tu, quem videre benigno
Lumine Pierides, praeconia praesulis aude
Carmine moeonio (tibi fas) et facta sacrare:
Quemque suo sese modulo metirier aequum est.

Ad Carolum Antonium De Rosa marchionem Villaerosae litteris moribusque praeclarum pro-praefectum publicae institutioni renunciatum

ELEGIA.

Huc bene pexa comas , hilarique Elegeia fronte ,
Huc age jam cultu nobiliore veni.
Publica vota vocant ad publica gaudia cives :
Laetitia in tanta tu quoque laeta fave.
Sebethi ad ripas pueros , tenerasque puellas
Adspice ridentes ludere amabiliter.
Adspice fortunae quot spem melioris adepti
Nitantur juvenes , evigilentque senes.
Ipse pater Phoebus musas juga sacra colentes
Ducere festivos jussit in urbe choros.
Jam jam vesana turbante libidine mentes
Artibus , et studiis priscus abibat honos :
Hunc revocat studiis Praefectus Praesul, et ingens
Spes subit in patrios posse redire lares.
Carolus , ecce vices Praefecti suscipit , almo
Quem fovit puerum Pallas amica sinu.
Hoc erat in votis : hoc accidit omine laeto :
Faustius effingi nil potuisse puto.
Desinite o tandem pavidae trepidare camoenae ,
Securi juvenes pellite corde metum.
Advigilat studiis studiis nutritus in ipsis ;
Musarum cultor tollat ad astra caput.
Virtuti sine fraude favet virtutis alumnus ;
Praemia virtutem praemia certa manent.
Si natis patrum est virtus , fortesque nepotes
Fortibus , atque bonis progenerantur avis.
Carolus in studiis, quid possit, et artibus, an non
Sat Villaerosae nomina clara monent ?
Spirat adhuc Thomae genitoris gloria vivax ,

Virtutis nomen dum manet, illa viget.
Quid Nicolaum memorem, qui munera centum
Functus letheos nescit adire lacus?
Antistes, Praesesque simul, studiisque regendis
Praefectus quanta dexteritate fuit!
Carolus, et Joseph toto laudantur in orbe
Parthenopaeae olim gloria prima togae.
Te, Thoma, tacitum, te, Prosper docte, relinquam
Delicium fratris, deliciumque patris?
Vestra coronato vehitur sapientia curru,
Famaque jam toto perstrepit alta foro.
Auspice sub tanto quid non sperare licebit?
Spes facient nostras omina tanta ratas.

Beneventum CAROLO MARIAE PEDICINIO *civi suo inter S. R. E. cardinales cooptato gratulatur.*

PROSOPOPŒJA.

Illa ego, quae fueram ante alias praestantior urbes,
Palladis et studiis, Martis, et arte potens,
Quaeque oblita dein iacui sine lande tot annos,
Vix notum Ausonia nomen in historia;
Nunc iterum videor fato gaudere priori,
Nunc videor fama splendidiore frui.
Scilicet humanis nulla est constantia rebus
Cunctaque mutata stantque, caduntque vice.
At cui debetur redivivae gratia famae?
Cujus ope expulsis surgimus e tenebris?
Per te, prisca mihi, Pedicini, est gloria, per te
Redditur, absterso pulvere, priscus honor.
Tu, quem, concepti maturo tempore partus,
Ab laeva, peperi, fausta tonante Jove;
Tu, cui fasciolas, cunasque ego prima paravi,
Et fixi in teneris oscula prima genis;

Tu , cui prima dedi linguae praecepta latinae ,
  Et sophiae , et legum prima magistra fui ,
Tu romanam aulam ingressus praeclara dedisti
  Argumenta tui protinus ingenii.
Quis quanto studio Romae , quantoque labore
  Innumera expleris munia , nescit adhuc ?
Quove propagandae fidei succensus amore
  Extuleris late relligionis opus ?
Rebus in his tanto nituisti lumine mentis ,
  Fixeris ut saecli mentem oculosque tui.
At tua Christiadum crescit dum fama per urbes ,
  Fama etiam patriae latins orbe sonat.
Nunc Pius ipse pater cum te insigniverit ostro ,
  Accessit matri gloria quanta tuae ?
Macte nova virtute esto , dulcissime fili ,
  Nestoreos numeres , et sine nube dies.
Quo te cumque vocat melior fortuna , benignis
  Mater adest votis , sollicitaque prece.
O utinam prima possis fulgere tiara !
  Nectetur capiti prima corona meo.

Ad virum insignem JOSEPHUM ZUROLUM

EPISTOLA.

Cum tot provideas rebus , Themidisque minister
  Legibus invigiles, justum ut servetur, et aequum,
  Te paucis mea musa rogat, ne in publica peccem
  Commoda , si te ausim longo sermone morari.
  Civem quicquid habet patriae debere, satis jam
  Cum senibus pueri norunt. Est patria numen ,
  Quod primos cultus, primumque requirit amorem.
  Patria divitias largitur , munera , vitam :
  Munera, divitias, vitam, cum tempora poscunt,
  Vindicat ipsa sibi : laetus si sumserit ista ,

Qui bonus est civis, laetus quoque sumta resignet.
Ad pontem Cocles docet haec, et Scaevola ad ignem,
Haec ferus in natos Brutus, Fabiique trecenti
Una omnes caesi: Decius cum se vovet, et cum
Magnae animae Paulus fit prodigus, Attiliusque
Haec re, non verbis pereuntes dogmata dictant.
Patria sed cives gremio complectitur omnes
Ut mater natos. Quemvis vult esse quietum,
Securumque domi, nec publica commoda curae
Esse jubet sic, ut privata negotia, fati
Spernatur vi nulla urgente, atque imperitante.
Quo rem deducam nunc accipe. Pessima nosti
Nuper in interitum vergentis tempora saecli:
Inter civiles fluctus, patriaeque labores
Nosti quanta tuli! Post mille pericula vitae,
Res curare meas sperabam denique posse;
At frustra: nam cura mihi committitur ingens:
Civilem turbet ne noxa occulta quietem.
Haud mora, onus subeo. Caput objectare periclis
Contigerit quoties, quoties noctesque, diesque
Contigerit vigilem impransum huc discurrere, et illuc
Haud quemquam fallit. Post tot discrimina rerum
Ni vacuus curis, jam laxior esse putabam.
Spe rursus fallor. Patriam, patriosque penates
Linquere, longinquas et cogor visere terras.
Colligo sarcinulas iterum fugitivus, et erro.
At mihi prae reliquis potiores dantur honores?
Et video, et grates illis quoque debeo, qui me
Pluris, quam valeam, faciunt; sed nemo meorum
Hic mecum degit: mater, carissima mater,
Errantem natum quae sola secuta fuisset,
Non potuit longaeva sequi. Sunt nostra dolore
Viscera scissa pari. Interea mihi quando licebit

In patria tandem post tot, tantosque labores
Otia tuta frui! Quando solarier aegrae
Matris ad exstremae properantis tempora vitae
Canitiam! Quando neglecta negotia curem
Sic, ut privatis componam publica rebus!
Munera nulla peto, veluti non ante petivi:
Commissum satis est. Patriae me reddite terrae,
Reddite me matri, neglectis reddite rebus,
Ipsum me tandem mihi reddite, sunt mea vota.
Si tibi, qui justi leges moderaris, et aequi,
Aequa videbuntur, satis est, nil amplius opto.

Altamurae anno MDCCCIX.

Ad Franciscum Ricciardium virum doctissimum recurrentibus Kalendis januarii anni MDCCCX.

EPISTOLA.

Cum novus exacto melior successerit annus,
Te Themidis firmante manum trepidantis, et hastam
Finibus a nostris procul exagitante Gradivo,
Quid, Francisce, tibi mea musa precabitur? aut quid
Pro strenis de more dabit? Torquebitur, et nec
Omina digna viro, nec munera digna parabit.
Est animus tibi, sunt mores, doctrina, fidesque:
His nixo pennis licet explicuisse volatus
Quos lubet. Hinc fit, ut hoc tibi qui portenderit, is sit
Persimilis Calabro vati, qui edixit, ut ajunt,
Et sursum flammas, et flumina currere deorsum.
Adde quod in te sunt, quae alii mirantur, et optant,
Praecipue cor, quod melius, pejusve sua spe
Cum nihil agnoscat, ridet spectacula sortis.

Abstineo donis. Nam quae te munera tangent?
Carmina tentarem; sed nec de divite vena
Carmina nostra fluunt, nec amica per otia vivo.
Per caput, et circa saliunt latus undique curae
Hic mihi: Desunt illa, quibus natura negatis
Incorrupta dolet, capularis avuncula, mater
Jam desiderio nati confecta, sororque
Nubilis, et fratrem rursus velut orba parente
Absentem lugens. Sane est res dura carere
Tam caris animis, durissima nosse querelas,
Cum praesto esse neget seu vis, seu patria, seu sors.
Interea in pejus vergit privata domi res
Facta minor praeda, vicibus, vi denique fati:
Inter tot curas nunc huc, nunc fluctuat illuc
Mens, animusque. I nunc et dulcia carmina pange,
Carmina praesertim Ricciardo digna. Caput jam
Scalpere nil prodest, nil ungues rodere, ni tu
(Unus namque potes) patriam, patriosque penates
Visere me jubeas, reddasque meis, et amicis.
Haud ego divitias, majora haud munera posco.
Nam nec plus aequo titillat gloria, nec me
Decipiunt plausus, favor, aut aerugo peculi.
Si mihì privatis componere publica rebus
Te duce contigerit, satis est: nihil amplius opto.
Sim voti compos, majores musa resumet
Vires, perque nemus, perque alta cacumina Pindi
Serta leget, redimetque sacra sua tempora fronde.
Saepe animus gratus cum vult, miracula profert.
Nunc quoniam superest nihil, ut tibi Nestoris annos
Dent, oro, superi cum mente, et corpore sano,
Nam tua non magis hoc, quam publica commoda
poscunt.

Trani Kal. ianuarii an. MDCCCX.

Ad eumdem

ELEGIA.

I pete Ricciardi sumtis elegeia pennis
  Limina sollicito non adeunda pede.
Si legum, cultusque sinit custodia sacri,
  Si rerum non est mole gravatus, adi.
Quid trepidas? gravitate viri num tangeris? aude
  Ingenium nulli comius esse potest.
Cum blande excepit, dicta de more salute,
  Dic mala, dic domini vota, precesque tui.
Jam decies Taurum visit, Tauroque relicto,
  Ad Geminos decies Phoebus adegit equos.
Interea ventis, saevisque agitata procellis,
  Fluctuat in medio nostra carina mari.
Non petit illa alio terras sub sole calentes,
  Currat ut ignotas ambitiosa vias.
Non avet argenti pretiosum pondus, et auri,
  Aut quas Sidonius murice tingit opes.
Gloria sit Gamae, sit gloria prima Columbi
  Detexisse plagas, quas novus orbis habet.
Ditior ut fiat, currat mercator ad Indos
  Despiciens longae mille pericla viae.
In patrium littus tendit mea puppis, at illud
  Diffugit ex oculis, ut levis umbra meis.
Omnia deficiunt, antennae, lintea, malus,
  Quique regat dubium navita doctus iter.
Interea venti bacchantur in aequore vasto,
  Cymba timet solvi, verberat unda latus.
Numina quassatam vos parcite solvere navim:
  Nam vestram superest nil mihi praeter opem.
Erronem patrias tandem vos ducite in oras,
  Reddite me Laribus post mala tanta meis.
Haec omnes multum superos, et saepe precatus

Dum portum affecto, rursus in alta feror.
Hei mihi! jam nullam fas est sperare salutem,
  Si quoque Ricciardus deneget auxilium!
Cur tamen ille neget? quem frustra nemo rogavit,
  Ille meas surda praeterit aure preces!
Ille meos casus, mea vota, Elegeja, noscat:
  Haud mihi praesentem ferre negabit opem.
Si mihi Ricciardus faveat, sub numine tanto
  Ventus, et unda furant, littora tuta petam.

Luceriae Kal. febr. an. MDCCCXII.

Ad Deiparam in Caelum abeuntem

ODE.

Ibisne, Diva, lucidos inter choros
  Splendor, decusque caelitum,
Natoque honores occupabis proximos,
  Agente vi te fervida,
Qua sol nitentes aureus profert dies,
  Et lactea ardet semita?
Quid nos, Parens, quos te sine aerumnae, et graves
  Manent labores exili?
Utrumne terris immorabimur malis,
  Quas multa labes inquinat,
An te per astra, perque fulgentes polos
  Forti sequemur pectore?
Sequemur o quacumque praecedes via
  Iter supremum carpere
Comites parati, sive tu currus ages
  Qua saevus Orion feras
Exterret ense, sive qua Cancer sua
  Protendit ingens brachia.
Ut fabulosa divites cum Arabum domos
  Invisit, Indo ab littore

Phoenix , euntem mille circumstant aves ,
  Dulci canentes gutture ,
Ipse insolenti luce pennarum emicans ,
  Auroque solem provocat :
Sic te decoro sidere evinctam caput ,
  Et nube amictam candida ,
Regina , longo prosequemur agmine
  Ad usque Olympi verticem.
Juvat , relictis oppidis , et urbibus ,
  Plausu canoro dicere :
Io triumphe , tu novum caelo decus
  Addes amicum navitis ,
Quos vexat auster Adriae prensos sinu ,
  Utrinque verberans ratem ,
Io triumphe , tu bonam matrem vehis ,
  Quae fraudis expers callidae
Elisit anguem Taenari emissum lacu ,
  Frustra volentem laedere ,
Et auspicato protulit partu Deum ,
  Aeterno amicans foedere ,
Nullae quod initum temporum solvent vices ,
  Divos , et humanum genus.
Tum nos chorea et laude defunctos tua
  Arces beabunt igneae.

Ad Divum Josephum

EPIGRAMMA.

Sancte senex , quem nos veneramur Virginis almae
  Custodem , veri nutriciumque Dei.
Si tibi solemnes adolemus thura per aras ,
  Fundimus et multas si tibi saepe preces ;
Aspice nos pelagi tot tempestatibus actos ,
  (Nam potes) et fessis dexter adesse velis.

Pro recuperata valetudine FERDINANDI *I.*
BORBONII *regis*

EPIGRAMMA.

Cum, Fernande, tuos nnmeraret gloria fastus,
Viveret et Syren sub duce laeta suo;
Invidit, falcemque nefas in stamina vitae
Atropos intorsit tam pretiosa tuae.
Publica sed falcem retuderunt vota minacem,
Teque patrem populis restituere tuis.
Gloria subridens numerem qnid caetera? dixit:
Quod vidi satis est hoc mihi nosse decus.

In idem argumentum

EPIGRAMMA.

Sol melius fulget, rident caelo astra sereno,
Purior est aër, nec maris unda fremit.
Flumina lacte fluunt, ludunt agnusque, lupusque,
Melle fluunt fagi, florea prata virent.
Aurato in solio regnant virtusqne fidesque,
Bella silent, verum statque, caditque dolus.
Saecula Saturni redeunt, an morte subacta
Fernandus, Siculis qui dominatur, ovat?

De natali CHRISTI DOMINI

EPIGRAMMA.

Nox erat, et gelida boreas stridebat ab arcto,
Cum coepit noctu verna nitere dies.
Res est mira quidem: tamen haec miracula vincit
Quae Virgo salva virginitate parit.

Ne stupeas : rerum Dominus si nascitur ista
  Nocte , novas mundus debet inire vices.

In Christum Crucifixum

EPIGRAMMA.

Quae pietas miranda movet tua pectora , Jesu ,
  Qui te , qui quaeso , tam novus urget amor ?
Scilicet aeterni proles aeterna parentis
  Factus homo , sontes ne moriantur , obis !
O magnum pietatis opus ! pro munere tanto
  Flere necis caussam crimina discat homo.

Ad virum clarissimum Angelum Ciampium
Pro editis suis carminibus

Hendecasyllabi.

Dum Phoebus dolet , et dolent Sorores
Obsolescere , despicique sensim
Sermonem latium ; inter eruditos
Eruditior , elegantiorque
Ciampi , tu latiae decus Camaenae
Auges , divitiis novisque ditas.
Cum vis a Sophiae , Matheseosque
Divelli studio severiore ,
Et per *Tempora subseciva* ludis
Ut soles numeris Catullianis ;
Hos jubes salibus , facetiisque
Pondus addere , regulasque morum
Omni seposita procacitate.
Hi sunt qui numeri placent , monentque !
Hi sunt qui omne ferunt , ferentque punctum !
Salve flos hominum eruditiorum

Lingua doctus utraque sive vincta
Velis scribere , seu modis soluta.
Salve qui latiae decus Camaenae
Addis , divitiis novisque ditas.
Hi sunt qui numeri placent, monentque !
Hi sunt qui tibi nomen arrogarunt ,
Quod nullo timet interire saeclo !

Salomonis judicium

EPIGRAMMA.

Lis est de puero : vult altera, et altera mater ,
Neutra tamen regi sat probat esse suum.
Æquas in partes puerum rex callidus inquit
Scindite , dimidium sic sibi quaeque feret.
Judicium vera rennente , probanteque falsa ,
Innotuit regi denique vera parens.

Ad Franciscum Migliorinium virum sapientissimum Ferdinando IV regi a secretis in justitiae et aequitatis finibus regundis

EPIGRAMMA.

Recurrentibus Kalendis januarii an. MDCCCV

Quam cito , me miserum ! mortalis labitur aetas !
Jam vetus annus abit , nascitur ecce novus.
Praesidium, vir summe, meum, sint omnia laeta,
Omnia fausta tibi , paxque , salusque , precor.
Teque per extentum nobis Deus optimus aevum
Principis , atque bono sospitet imperii.

TRADUZIONE.

Come presto, oh meschin! l'età si strugge!
  Già nasce l'anno nuovo, e 'l vecchio fugge:
Pace, salute, lieti eventi, e nuova
  Felicità, signor, da Dio ti piova;
Ti faccia il Ciel di lunghi giorni il dono
  Pel ben di tutto il regno, e 'l ben del trono.

In obitu Francisci Danielis

EPIGRAMMA.

Atropos immiti Danielem falce petivit
  Dum stravisse rata est, pulchrior ille viget.
Quod fragile est periit: majus post funera nomen,
  Æterna coepit posteritate frui.
Interea extructo Pallas Pietasque sepulchro,
  Floribus injectis, has posuere notas:
Palladis hic situs est, situs hic Pietatis alumnus:
  Custodit cineres utraque Diva sacros.

In obitu Antonii Micherusii *equitis ordinis constantiniani, et S. Annae Moschorum, regiis scriniis exterarum rerum praefecti*

EPIGRAMMA.

Te carum musis, te gnavum rebus agendis,
  Te carum populis mors inimica rapit!
Piscator nassas, Antoni, pastor avenas
  Frangit in interitu moestus uterque tuo.
Mergellina comas avulsas vertice, Syren
  Marmoreum saxum flensque gemensq. sacrat.
Quisque sibi ereptum dum te dolet: Actius unus
  Te sibi vicino gaudet habere loco.

Ad Josephum Garganum *S. R. Consilii neapolit. XXIVvirum juris scientia, et philologia clariss.*

EPIGRAMMA.

Grata mihi cocolata fuit, doctissime Joseph,
Illa Deûm nectar vincit, et ambrosiam.
Illa mihi facilem condendi carmina venam,
Ingenio vires sufficit illa meo.
Hanc reor Aonias quondam potasse sorores,
Cum canerent dulci carmine dulce melos.
Gratia debetur tibi summa: ex jureperito
Vatem, quam mittis, me cocolata facit.

Ad Carolum Antonium De Rosa *marchionem Villaerosae pro editis I. B. Vici italicis carminibus*

EPIGRAMMA.

Sebethi ad ripas cecinit quae carmina Vicus,
Carmina perpetuos vivere digna dies;
Tu tempus nigris ne circumfunderet alis,
Carole, luce jubes splendidiore frui.
Dum patriae, et studiis, et Vico consulis idem,
Non minus, Antoni, consulis ipse tibi.
Quae lux a tanto circumfluit undique vate
Splendidius nomen reddit in orbe tuum.

TRADUZIONE.

Del bel Sebeto in sull' argentee sponde
Brillò la chiara murmurante vena,
Che fece invidia alla diletta amena
Riva dell' Arno, con sue limpid' onde (1);

(1) Si allude al rinascimento della poesia italiana in Napoli a' tempi di G. B. Vico.

Vico la bevve, e in note alme, e gioconde
  Cantar le muse, ogni servil catena
  Rotta: l'Italia udì lieta e serena
  Tra verdi piagge d'alti eroi feconde:
Or di Vico l'immago a noi riluce
  Per te de Rosa, che con nobil arte
  Al vate illustre un monumento ergeste.
Ma non splendi tu men, che, in dotte carte
  Fregiando il nome altrui di eterna luce,
  Più chiaro il nome tuo tra noi rendeste.

In obitum Francisci Cancellierii *romani*

EPIGRAMMA.

Luget in interitu Francisci summus, et imus,
  Exterus, et civis, vir bonus, atque malus.
Arcadiae pastor dum plorat, totaque Roma,
  Et pariter Charites, Aonidesque dolent.
Francisci ingenium, virtutem, gesta, decusque
  Discite ab insuetis luctibus, et lacrimis.

Pro effigie Pii *VII. P. M. sculpta ab* Antonio Canova *viro celeberrimo*

EPIGRAMMA.

Summus in arte fuit Zeuxis, doctusque Canova,
  Me tamen est hujus judice majus opus.
Sculpere virtutem huic ex unius obtigit ore,
  Formam illi e multis ponere corporibus.

Ad amicissimum poëtam , et pictorem
Dominicum Mundium

EPIGRAMMA.

Vel Phoebi vates , vel Bacchi numen adorat ,
Ut scribat facili carmina docta stylo.
Horum qui faveat potius tibi nescio , Mundi :
Bacchus erit certe cum mea vina bibes.

In faustissimis nuptiis Eleonorae Serrae ex ducibus Cassani cum principe Barberinio romano

EPIGRAMMA.

Virtute insignes , et avorum sanguine claros
Aurea conjugii sub juga cogit amor.
Quid sibi non speret de tanto Ænotria nexu ,
Cum referet proles aemula utrumque genus ?

Ad praeceptorem, et amicum optimum equitem Nicolaum Vallettam poëtam, et regium antecessorem

HENDECASYLLABI.

Sextantes cocolata gratiores
Quae praebet mihi tu paras libenter.
Haec vires cerebro addit , et cadentem
Suffulcit stomachum , beatque totum.
Tu bibis veteris meri trientes ,
En paro tibi quod sapit , nutritque ,
Quod et lautitiam coquit ciborum.
Sic veris puto convenire amicis.

Sub imagine FRIDERICI *II. imp. Utr. Sic. regis*

Pugnavi pugnas, expers terroris, et acer,
Jura dedi, populos artibus excolui.

TRADUZIONE.

Pugnai da forte, nè giammai terrore
Provò il mio petto, dettai leggi, e trassi
D' ignoranza i miei popoli, e d' errore.

In effigiem JOSEPHI XAVERII POLII

Hunc tu Linnaeo, si scis geniumque, librosque,
Hunc tu Newtono dixeris esse parem.

Ad amicum PHILIPPUM CARCANIUM

Nix cadit, et boreas torpentes contrahit artus,
Distendunt veteris pocula grata meri.

In obitu ALOYSII CASSITTI *ordinis praedicator.*

Ingenium, eloquium, pietas, sacra dogmata, mores
Cassitti casu quot bona paene cadunt!

Luceriae in hortulo marchionis Rignanensium

En tibi tantisper gladium Themis alma resigno,
Dum fugat hic curas, me mihi reddit ager.

Casertae in villa JOANNIS LAETITIAE

Laetitiae genio sacrum rus: ponere curas
Hic datur, et laetos vivere posse dies.

Josepho Xaverio Polio quod regiam Neapolit. bibliothecam disposuerit

Bibliotheca tibi decus est, tu bibliothecae,
Quos capit haec libros, mens tua docta tenet.

Subscribendum imagini Trojani Marullii Asculensium ducis viri praestantissimi

Belli unus pacisque artes qui calluit hic est:
Mars magis, an fuerit Pallas amica, latet.

In effigiem Brunonis Macrii

Moribus ingenuis, medicaque magister in arte
Macrius est patriae gloria prima suae.

Neapoli in Insanabilium nosocomio

Hinc lithiasis abit, fugit hic suffusio: doctae
Commoda languenti quanta tulere manus!

Ibidem

Decubat hic phthisicus, libitinae proximus illic,
His certam quaerat sedibus aeger opem.

Inscribenda communi Afragolae coemeterio in quatuor latera

I.

Omnibus, o cives, patet hoc commune sepulchrum,
Cogimur huc omnes ordine quisque suo.

II.

Spiritus exultat caelesti sede receptus,
Quod mortale fuit dum sua terra tegit.

III.

Hinc omnes, quum moesta canet tuba, surgere jussi
Stabimus aeterni judicis ante thronum.

IV.

Nobis si quid adhuc mortali e labe piandum,
Quisquis ades pura concipe mente preces.

FINIS.

Pag.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
103	4	loborent	laborent
112	14	Doninico	Dominico
156	19	Patri	Petri

INDEX OPUSCULORUM.

Classis secunda publicorum, privatorumque operum.

Classis tertia funebres.

CARMINA.